JO. CASPERIS MALSCHII,
Illuſtr. Gymnaſ. Durlac.
Prof.

ELEGORUM JUVENILIUM MONOBIBLOS.

Acceſſit

CAPUT
DISSERTATIONUM
QUARUNDAM
DE SPIRITU
POETARUM

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

FRANCOFURTI AD MOENUM,

Sumtibus JO. HENRICI REBERI,
ANNO MDCCII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimæ

FRATRUM TRIGAE

DN. WEIPRECHTO DE GEMMINGEN IN HORNBERG, &c.

Sereniſſ. Principi ac Dno. DN. LANDGRAVIO Haſſo-Darmſtatt. à curis ſecretioribus, & Conſilii Aulici Præſidi, &c.

Item

DN. URIELI DE GEMMINGEN IN HORNBERG, &c.

SACR. CÆSAR. MAIEST. Conſiliario, & immediatæ Imperii Nobilitatis, Loci Greichsgâvv, Directori, &c.

Nec non

DN. REINHARDO DE GEMMINGEN IN HORNBERG, &c.

Sereniſſ. Principi ac Dno. DN. MARCHIONI Bada-Durlacenſi à curis ſecretioribus, Conſilii Aulici Præſidi, & ſupremo Aulæ Mareſchallo, &c.

ἐν περγύπλειν.

JO. CASPER MALSCHIUS, Prof.

Digitized by Google

QUid cauſæ vobis adferemus ILLUSTRIA ERUDITÆ NOBILITATIS EXEMPLA, quod in tanta literarum elegantiorum admiratione, tantisque ſtudio doctiſſimorum virorum paratis in eam rem præſidiis, nequaquam pro ſpe atque opinione noſtra ſit idem poëtarum Latinorum proventus, quem hiſtoriarum monimenta declarant exſtitiſſe, quum in Italia, Mediceorum principum munificentia; in Galliis Franciſci I. maximi Galliarum regis, digna ſeculorum memoria liberalitas, ſignum quaſi, quod Imperatores muſarum exercituſque ſequerentur, alte ſuſtuliſſet. Nam, ut omittam Bembum, Philonardum, atque Sadoletum quos in ambitionem purpuræ Cardinalitiæ, tanquam in ſcopulum illatos, Leo X Pontifex Maximus veluti rapidus abſtra

x

Google

xit vortex: ea tempeſtate floruerunt illa Latinarum literarum ac Poëſeos inprimis unica decora; Aonius Palearius Verulanus; qui deinde vivus ob conſenſum cum Germanis, uti tum loquebantur, in flammas fuit ac cinerem præcipitatus; tum P. Carneſeccus, qui eodem incendio, quo Aonius, conflagravit; inde M. Antonius Flaminius, nobilis Pſalmorum Davidicorum ſcriptor; item Politianus, ac Marullus, generque Græculi iſtius Sannazarius, ac Pontanus, Naugeriusque, & magno numero reliqui Academiæ Romanæ, cui non raro ipſe Pont. Max. interfuiſſe dicebatur. Ingreſſi ſunt horum veſtigia diligenter ac curioſe Gambaræ, Amnithæi, Capicius, itemque Muretus, poëta non inſuavis, quanquam in Eloquentium numero magis eſt habitus; & alii complures: ita tamen, ut deſiderares frequentiam majorem, & nemini dubium eſſet, eosdem illos nigro transmarinæ cujusdam peregrinitatis eſſe coloratos. Ab iſtorum ætate nuda pene fuit Italia poëta-

rum iſto ſplendore, quantum quidem ipſi ſcimus, niſi quod interdum exſtiterunt, qui tolerari magis inter poëtas, quam ipſi eſſe viderentur. Galliæ quoque defecerunt; poſteaquam in ejus regni viſcera turbo civilium bellorum incubuit; illæque muſæ, quod Amorum matrem nimis illiberaliter aſpernarentur, immiſſo Marte, omni decore ſpoliatæ, veſte mutata ſolum exilio mutarunt. Sed bonum factum! Auctoritate ac juſſu Ludovici XIV. cui & inter arma cœperant eſſe curæ, reverterunt;& hac tempeſtate in Menagio, Ruæo, Pererioque ac inprimis Baptiſta Santolio Victorino, rejuveneſcunt; Principe, ſi fronti Operum illius poëticorum credimus, noſtri ſeculi poëtarum; bono minimum ac numeroſo poëta: meliore aliquanto, ſi veteres magis, non Hieronymum Vidam, eſſet imitatus. Ad Germanos noſtros uti tranſeamus: equidem inficias ibit nemo, cui ſalis quiddam ineſt; quamprimum ad nos ſuperatis Alpium jugis deſcendiſſent inſtauratæ literæ: tanto

Digitized by Google

to fuiſſe ardore procurſum ad cultum ipſarum, ut, ſi judicio Rabillonii atque Richerii, Gallorum Scriptorum è Sorbona, tribuenda fides; reliquas nationes antecellamus; omnibus certè æquiparemur. Neque mihi perdifficillimum fortaſſis eſſet futurum, ſi omnia perſequi ſigillatim inſiſterem, in re præſenti relinquere teſtatum, quæ quantaque ſingulæ Philoſophorum familiæ, Phyſici, Mathematici, tam, qui ſuperiorum, quam qui inferiorum ſe Mathematum cultores profitentur; quid item doctrina de Moribus; quid Hiſtoria, quid hiſtoriæ reliquæ propagines; quid Oratoria; verboque univerſum illud, quod ſciri poteſt, Germaniæ noſtræ deberet. Sed quum in hoc tempore nihil nobis ſit cum iſto negotio negotii, aliique laudem iſtam jam ante nos occuparint: ne videamur in muſtaceo laureolam quærere, præterire licet. Ad ſtudia poetica revertor. Poeticam igitur quamprimum accepimus, celeriter ſumus complexi, brevique tempore palam

 fece-

fecerunt Lotichius, Sabinus, Grotius
Heinſius, cæteri, quam indigne German
à ſupercilioſa natione Italorum pro bar-
baris haberemur. Neque in eo gloria
gradu conſtiterunt homines noſtri; ſed
ulterius provecti ſumus, dedimuſque ex
plicatum, quid id eſſet, quod in quoque
genere laudandum; quod item vitandum
qui quo modo imitandi; qui legendi tan-
tum; quodnam imitationis decus: ut ea
pangendorum carminum laus, primis il-
lis poſt renatas literas involuta ſatis ac
perdifficilis, quoniam ars nondum exſta-
ret, in multis explicata voluminibus, tan
quam in veſtibulo, cuivis conceſſerit ad
eundi ſui facultatem. Verum enim, quod
obſcurum eſſe nemini poteſt, idem fui
Germaniæ noſtræ fatum, quod Italiæ
quod Galliis; non quod verſus fieri deſiti
nam verſificatorum omni tempore to
exſtiterunt, quot lumbrici cœlo poſt im-
bres ſudo; ſed niſi nobis ipſi ſuffeni ſu-
mus, mira paucitas eorum, qui ordine ac
modo decenti poetarentur. Habuit equi
den

dem id hominum genus, qui verbo, Jesu glorioſiſſimo nomini; revera, Sedi Capitolinæ ſacramentum dixerunt, non ignobiles poetas. Hoſchii Elegis nihil purius; nihil affectatum minus; ut inter Elegographos noſtros facile tueatur principatum. Becanus in Idylliis ſuis perelegans; Elegiæ bonæ; ſed neſcio quomodo lentæ; In Heroicis excellit Wallius; Balde varius, & Maſenius, ac non raro diſſimiles ſui. At hi minime multi pro otio illo, quod inſtar numinum Democriteorum in clauſtris ſuis agunt. Franci, Batavi Poemata, non unius ſunt Spiritus, ſed proba tamen; quanquam Elegi nihil ad Heinſianos; nec Cothurnus ad Wallium; nec Lyra ad Sarbievium adſurgat. Buchnerum Oratorem, itemque Morhofium, de Scriptoribus philoſophantem, quam ipſos Poetas malim. Caldenbachius, in Lyricis minime contemnendus; ſed Epicum genus moleſtum: moroſiores Elegi. Atque hi ſunt fere illi, niſi nos ratio ac memoria fugit, quos ſine nauſea legere

 poſſu-

Digitized by Google

poſſumus ex iis, qui vivi ad ætatem noſtram pervenerunt. Omnino perpauci, ſi convertamus animum ad reliqua artium ac diſciplinarum genera, circumſpiciamusque, qui in illis artibus floruerint, quantaque fuerit illorum multitudo.

Hæc ego cum ſæpenumero mecum cogitarem, quærendum mihi viſum eſt quidnam id eſſet, quod plenæ Germania noſtræ laudi invideret. Nam ſi præmii aluntur artes: neque defuerunt viri ſummates, qui dignum carmini bono pretium ſtatuerent. Tum ipſe pulchri poematis lepos tantam ſibi ſectam in omni gente noſtra peperit, ut citius, qui ſe poeta dici, quam hominem mallet, reperire. Ingenia vero noſtrorum adeo non fuerunt inepta atque abſurda ad divinam iſtam facultatem, ut, niſi nos fefellerunt ipſa exterorum judicia, perniciſſimis quibusque gentibus Germana gravitas ant ſtet. Itaque mirari ſubiit non raro, qu eſſe hujus inopiæ cauſæ putem; illáne

c

culi felicitas fuerit; declinetque ad ſenium ætas hæc noſtra

- - *ſpatio defeſſa vetuſto:*

an, quod ſuſpicari libet, altius aliquod lateat ulcus, quod ſanie fluat, unde ſacrarum ille mentium impetus retardetur. Nimirum, ut de Oratore ſuo Tullius ait, majus eſt hoc quiddam, quam homines opinantur, ac non tantum plurimis ex artibus, ac ſtudiis collectum, ſed puriſſimo cœli feminio natum educatumque poetarum genus. Ac quoniam hoc primum eſt, cum mihi datur VOBISCUM NOBILITATIS ERUDITAE CLARIS AD SEMPITERNAM HOMINUM MEMORIAM ORNAMENTIS, in publico colloquendi poteſtas: repetam, ſed brevius, quam accepi, quæ Caldenbachium clariſſimum in Academia Tubingenſi Eloq. & Hiſtoriarum Profeſſorem, mihi memini, diſcipulo tum ſuo, commemorare. Nam cum ipſum eſſem in hortum pomœrianum ſecutus, ubi ſolebat extremæ ſenectutis incommoda, nam annum agebat ſeptuage-

ſimum, ſolari; poſteaquam conſedimus
tum ille Vir optimus, Quid, inquit, Mal
ſchi; nunquid habes, quod mihi de ſtu
diis tuis narres? Hic, Ego vero, inquam
humaniſſime ſenex, jam id agitabam ani
mo, ex te, ut elicerem non nihil, cujus m
non pœniteret. Nam cum his diebus ex
plicares Oden I. Hor. l. 3. inque curſu ora
tionis tuæ declarares; quantus extitiſſe
ad carmen impetus, quanta vis, in Hora
tio: equidem, quod non debeo diſſimu
lare, mirum me ſubiit deſiderium ex te
tanquam veterano muſarum duce, cogno
ſcendi, quid nam id eſſet, quod, Odi Pro-
fanum vulgus, efficeret. Tum ille, O rem
inquit, dignam ſcitu, ſed quæ tentata mul
tis, paucis extricata ſit! Itaque, quan
quam ad eos te remittere poſſim, qui iſta
ſcripſerunt, (qui ſint, noſti:) tamen, ne te
fruſtra fuiſſe cenſeas, accipe, quæ mih
nunc veniunt in mentem. Plutarchus
quemadmodum te non arbitror ignora-
re, tria poſuit, in libello de Educatione
quæ in homine, qui eſſet in arce virtuti
collo

Digitized by Google

collocandus, requirantur. Tanquam fundamenti loco ſtatuit φύσιν ſive εὐφυΐαν; operi deinde materiem ac inſtrumenta artemque ſuggerit λόγος vel μάθεσις; edolat, ſtringit, aptat ſingula, inque ſuas contignationes educit ædificium, ac faſtigium imponit ἄσκησις καὶ ἔθος. Naturæ debentur initia; doctrinæ, progreſſus; adjunge ſedulum ſtudium; tum demum exſurgit id, quo æternitati litatur. Utque in agricolatione prima de ſolo cura; ſit ne aptum colendo, an culturam aſpernetur ſceleratum frigus: deinde num arator frugi, qui nimiam attondeat fœcunditatem; qui ſterilitatem fœcundet; tum ſemen lectúmne ſatis, an degenerans: ſic pari ſe modo habent ad agrum natura; magiſter ad aratorem; ad exercitationes ſemen. Sicubi quidquam horum deficiat, mancum fieri, quidquid id eſt, neceſſe eſt. Nam naturæ impetus ſine diſciplina cæcus eſt: diſciplinæ artus ſine natura ante tubam occupat tremor; Uſus & exercitatio quid? Iſtis adminiculis ubi fuerit deſtitu-

ſtituta; more pugnat Andabatarum; cumq
illa ſe Anu apud Comicum ſemper mo
vet; ſed nihil aut parum promovet. Nam
quod rapacia virtutis ingenia vel ex ſe fer
tilia eſſe Seneca putat, id mihi ſecus vide
tur: quanquam nihil inficier, si quosdam
ex hominibus egregiam ſortitos indo
lem, in ea, quæ tradi ſolent, ſine longo
pervenire magiſterio, & honeſta magna
que complexos; quam primum audiſſent.
Sed hoc mihi tamen concedetur, eosdem
illos in principibus facillime futuros fuiſ
ſe, ſi, doctoribus adhibitis, incitatum na
turæ impetum arte quadam vel adjuviſ
ſent, vel inſolenter elatum, ac juvenilite
exultantem refrænaſſent. Id vel ex eo ma
nifeſtum eſt, quod, ut Hieronymus Vida
in libro Poetic. I. canit, invenias ſæpe,

- - - cui carmina curæ,
Cui placeant muſæ, cui ſit non læva volunt...
Nititur ille tamen fruſtra, & contendit ina...
Deluſus ſtudio, vetitoq; accingitur orſis.
Numina læva obſtant, precibusq; vocatu...
Apollo.

Atqu

Digitized by Google

Atque hæc ſingula, quanquam in omni præclara indole neceſſaria videntur, in eo tamen, qui nomen poetæ tueri cum majeſtate cupit, non ſolum deſiderari non poſſunt, ſed accedat inſuper aliud quiddam oportet, quod quo nomine conveniat appellare neſcio. Plato, idem Poeta ſed ſine numeris habitus, in Jone κοῦφον, inquit, χρῆμα ποιητής ἐστὶ, καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γίνηται, καὶ ἔκφρων, καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. Qui idem, paulo ante, omnes, inquit, Poetæ, non arte, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι, præclara ſua poemata condunt, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται; tum porro, ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν καὶ εἰς τὸν ῥυθμὸν, baccharum ritu aguntur, atque ipſorum animus id revera facit, quod ipſi ſe facere opinantur. Unde quatuor facit in Phædro ἐπιπνοιῶν θείων genera; primum eſt, Μανικὸν, quod Apollini tribuit; πλεστικὸν, alterum Bacchi opus; tertium ποιητικὸν Muſarum afflatus; quartum ἐρωτικὸν, Veneri ſacrum; ſingula

ſingula deinde nomine *Μανίας* compre-
hendit. Neque eam hic *Μανίαν* opinor in-
telliges, quam Cicero mentis ægrotatio-
nem ac inſanitatem appellat; vel illam
Medicorum, quam ſcribunt inde prove-
nire; quum ſanguine tumultuante ac mo-
tûs terminos excedente, ſpiritus copioſi a
craſſi cerebri ventriculos occupant; indif-
ferentiam tollunt, quaquaverſum ruunt,
Glandulamque illam, ab Anatomicis, o
figuram, Pinealem & Conarion appella-
tam, rapientes miſerrime mentem deci-
piunt, ac motuum inſuetorum abſurdo-
rumque exiſtunt auctores. Sed hæc e
eſt *Μανία*, quum anima Poetæ ab omni eo
quod obnoxium ſenſibus eſt, eripitur, &
in ſemetipſam ac punctum ſuum primum
ſe colligit, intimumque ſibi ſinum ac ſa-
crarium, ubi reconditi ſunt, non tanquam
in carcere Æolio, ſed in utribus Ulyſ-
ſeis, cœleſtes illi ſpiritus, ingreſſa, depro-
mit, quidquid ibi divinitatis eſt; quam
partem ne perpetuis quidem hauſtibus
exhauriri recte J. Scaliger ait. Habet au-

tem

Digitized by Google

tem iſtæc *Mavia* duo cum iſta ferali communia: primum, quod ſimiliter inſtar furioſorum obliviſcantur ſui, mente nihilo ſegnius recta; Poetæ; quod iis non ſolùm, ſed aliis etiam ac inprimis Oratoribus evenire, quis neget? Vide modo, quæ libro de Orat. ſecundo diſputet Antonius apud Ciceronem, cum de ſe, tum alio in loco de altero quodam Oratore; qui, cum ſcribis ſuis Orationem, quam intra paucos dies erat habiturus, dictaſſet, ita fuit inter recitandum inflammatus, ut ipſi ſcribæ pugnis probe conſciſſi multatique diſceſſerint. Deinde teſtantur Æſculapii pueri, mente motos à ſpiritibus iſtis vehementioribus, qui libere per varia memoriæ ſpecierumque veſtigia volvuntur, omnemque connexionis ac diſcriminum ordinem conturbant, eo tandem ferri ſolere, ut objectorum longiſſime diſſitorum præſentiam vividiſſime ſibi repræſentent; ut ſine legitima cohæſione multiplices rerum ideas mens alienata componat: unde quoque ſequuntur affectionum effe-

ctus,

ctus, cum magno geſtuum incompoſitorum grege. Idem pene poetarum morbus. nam cùm ſeſe ſibimet immerſerunt; igneſcit mens, tanquam vento, ſic ſpiritu quodam impulſa, & rerum intelligibilium Entitates exſuſcitat, producit, ſibique præſentes ſiſtit. Sic hoc inter Poetarum furorem ac Maniacorum intereſt, quod illis ſpiritus quidam materiales, craſſi, graves, humidi, tenebroſi dominentur; his autem puri, ſimplices, pellucidique ac luminoſi, agiles, nulla tabe concreti. Iſtorum autem ea vis ac poteſtas, ut non uno nomine facultates ipſorum ſint à veteribus appellatæ. Vocantur enim Μανία; κάτοχη ἀπὸ τῶν Μυσῶν, Θεὸς ἐν Φρεσὶν, ἔμφυσις χρημάτων τῶν ὀυρανίων, ἐνθυσιασμὸς, Βακχεία, πῦρ, ἐμπύρωσις; itemque, Deus, impetus ſacræ mentis, numen, inflammatio animorum, afflatus divinus, ſpiritus ſacer, ignis, &c. Utrum autem ille ſpiritus ſit συγγενὴς poetis, nec ne, in eo video minime conveniri. Equidem veteres in univerſum, ac inprimis Pytha-

Pythagoræi Socraticique, magiſtros quiſque ſuos ſecuti, ſpiritu diverſos eſſe poetas ajebant. Alios enim vel naſci tales; alios vel rudes vel feros atque averſos in furorem rapi, atque abſtrahi, Deorum opera; qui Dii iis deinde tanquam adminiſtris uterentur. Unde Ariſtoteles, ἡ ποίησις, inquit, ἢ εὐφυοῦς, ἢ μανικοῦ. Ποίησιν τῶν εὐφυῶν eam opinor intelligit, quæ ſola nititur ingenii præſtantia, atque expromta volubilitate mobilitateque verborum. Unde toties ἔπεα πτερόεντα ille, quem in ſomnis vidit Ennius. Quale videmus exiſtere in ſubitariis ingeniis; quale Camilli Querni, Archipoetæ ſemitarii, theatricique nugonis, fuiſſe memoriæ proditur. Ἡ τῶν Μανικῶν non niſi ſacro divinoque tacta thyrſo baechatur. Socratem ipſum operæ pretium audire philoſophantem, niſi forte εἴρων ille ſuo nos more ludos facit. Nam cum ſe in Iſmeni ripa cum duris pedibus ſuis in terram abjeciſſet ad Phædrum delicias ſuas: ſupraque caput ſtreperent cicadæ; dies enim jam erat ad umbi-

umbilicum mortuus: ibi ſuaviſſimam adorſus fabulam, illas olim homines ajebat exſtitiſſe, ſed qui ante muſas vixiſſent in terris. Cum autem originem è cœlo ducerent, inque terras delati non poſſent illius ſoni dememiniſſe, quem orbium cœleſtium motus efficit, acuta cum gravibus, intervallis pro rata portione diſtinctis, temperando: enimvero tanta perfuſos voluptate, ut ſine cibo, ſine potu, ſui obliti, perpetuo canerent; donec immortui cantibus eo deſcenderent, quo poſtidea temporis Lesbiæ paſſer, Naſonisque Pſittacus conceſſerunt. Ex eorum cineribus natas eſſe cicadas, quibus muſarum munere datum, ut ſine omni Cerere ac Libero, Diis ſanctiſſimis, pura illa atque oblectabili ſuavitate poetandi vitam agant; dum ad Deorum cœtum in Palatium Vulcani (is faber operis longe præſtantiſſimi fuit) revertantur. Hic ego, quum aliquantum arriſiſſem, Nihil enimvero ſimilius, inquam. Sed in hoc male concordant, quod non, quemadmodum cicadæ rore, ſic

ſolo

ſolo quoque cantu Poetæ victitant. Scin' quid Eumolpus apud Arbitrum? quid item de Thebaidos auctore Juvenalis?

- - Quum fregit ſubſellia verſu;
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

Idque tam modo, ut Præneſtinus inquit, verum, nullum ut ſit hominum genus magis famelicum, pallidum, nudum, quam iſti muſarum pulli: niſi quos aulæ nidor, aut Imperatoria fortuna μεταμορφώσει ultra fidem mirabili reconcinnavit. primi pictores picturis ſuis adſcribere ſolebant; τοῦτο λύκος, τοῦτο ἀλώπηξ. poetæ ſimiliter in fronte, tanquam inſcriptos habent fati ſui numeros, Famem, Sitim, Frigus. neque me quenquam vidiſſe memini, cui nomen Saturioni extitiſſet; omnes Eſuriones vocantur. Sed, quoniam id ſeculo noſtro vitium hæret, nobis eſuriamus & muſis noſtris, bene memores, nihil nobis à Parente noſtro, Apolline, quum iret hinc in communem locum, eſſe teſtamento legatum, præter ſtilum ac pugillares. Interim ea, quæ præclare orſus es, aveo audire.

Nam

Nam ſi recte memini, nondum es ingreſſus dicere, quid εὐφυία, quid item Μάθεσις; quid ἄσκησις καὶ ἔθος afferat poetæ. tanquam ales in ipſum poetarum cœlum ac patriam evolaſti, ibique perſcrutari cœpiſti cubilia ſingulorum neque intelligo ſatis, ecquando ſis inde reverſurus: nam inexploratam video relictam abs te controverſiam de Origine Spiritus illius, quo acti vates avia Pieridum loca peragravere. Atqui, inquit ille, quo magis cognoſcas, quid mihi ſuper ea re ſit animi, ſpatium mihi ſumam ad deliberandum. Nam, uti deſiſterem, modo me monebat, onus hoc, quod me vides ægerrime ſuſtinere. Quodnam? inquam. Anni, inquit, ſeptuaginta & plus etiam. O, inquam, ego, onus plurimis ſane grave; tibi non ſolum non moleſtum, ſed etiam perjucundum! nam ea certe adminicula comparaſti, quæ & leve & optabile redderent! Itaque veniam tibi concedo, ſed, quæ adepta mihi ne fraudi ſit, non tam mea, quam tua intereſt. Hendecaſyl-

caſyllabos meos noſti; ſunt ex illo genere, qui Lycamben ad laqueum compulerunt: eos perfidiæ vindices armabo; qui te vel medio in foro reflagitent.

Hæc illa fuére, quæ tum facundiſſimus ſenex mecum ea de re diſputabat. Hæc mihi quoque, dum reliqua literis perſequimur, præfari viſum, HEROES ILLUSTRISSIMI, quum adoleſcentiæ meæ fœtum, in Academiarum ſpaciis genitum, in clientelam veſtram tradere inſiſterem. Sunt autem poemata quædam mea, quæ cùm inſciens ipſe convaſaſſem, ne diſperſa dilaberentur, in ordinem redegi, & Cadmi nigellis filiabus adſervanda transmiſi. Vobis uti donarem, quicquid hoc eſſet munuſculi; fecit inprimis, ne quid mentiar, animus ille Tuus ad omnem clementiam excitatus, ILLUSTRISSIME MARESCHALLE, qua in re, VOS quoque, ILLUSTRISSIMI VIRI, complectendi videbamini, quos ſanguis non in fraternitate ſolum, ſed ſtudiorum etiam

etiam ac virtutum ſimilitudine conjunxiſſet. Accipite ergo, ſultis, ANIMÆ GENEROSÆ, quæ virtutibus veſtris in Famæ templo libamus; & exemplo veſtro, quod hactenus egregie feciſtis, augete porro Reip. literariæ decus.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA PRIMA.

Ad

Generoſiſſimum Equitem ac Dominum,

REINHARDUM de GEMMINGEN,

commilitonem t. t. ſuum,

Quum Phorcæ Anno 1691. condiſcipulis ſuis tertio ante Kal. Mart. Vale diceret, & ad ſuos proficiſceretur,

PROPEMPTICON.

Tu quoque poſt reliquos unus mihi pene ſodales,
Optime, pars animæ major, amice, meæ;
Tu quoque vadis iter, quo ſola mente proculq́;
Quod queror infelix, aſpiciendus eris?
Heu mihi! quàm brevis hæc, quam non ſincera voluptas,
Quam vaga, quam nullo certa tenaxvé loco eſt?

Nuſquam tuta fides: quot fluctibus æquora ſurgunt:
Gaudia tot cauſas mobilitatis habent.
Quam vellem (ſcelus eſt ingens audere fateri)
Tam cito ſi fueras eripiendus equo;
Non ego te noſſem, Reinharde: carere fuiſſet
Pœna quoque ignoto parva futura bono.
Quæ fugit ante diem temere irritata cupido,
Hæc deſiderio nos graviore ferit.
Creſcit in immenſum, nec ſe capit illa, ſuoq́;
Viſa mihi fieri fortis ab ipſa metu.
Vidi ego præſentem modice & patienter amari,
Vixq́; ſatis noti parte favoris ali:
Qui ſimul auſpiciis petiit freta lata ſecundis,
Et profugos alio fixit in orbe lares;
Tum male ſævit amor, tum rapti cura ſodalis,
Tum miſerum memini non meminiſſe ſui:
Sic ego, qui tepido fortaſſis amore tenebar,
Dum procul eſt damni, diſcidiive metus:
Quamprimum à nobis Genitore vocante parabas
Vertere iter, quo te non mea vota trahunt;
Uror, & in venis non mitius æſtuat ignis,
Quam tactus telo fulminis ardet Athos.
Sed, quoniam magni quicquid voluere parentes,
Omne ſub arbitrio deſinit eſſe tuo:
I decus, i noſtrum: cœlo pius ales ab alto,
Quod precor, ex omni parte ſecundet iter!
Sed nimium properas. quamvis tollaris ab Euro,

Me tamen hinc tecum tempus in omne trahes:
Quaque viam inſiſtes, amor indivulſus eadem
Accedet profugæ ſarcina parva rotæ.
Jam videor paſſim per & aſpra & ſola locorum,
Vaſtaque, commota turbine mentis agi:
Jam procul aſpicio, quæ te arridere videntur,
Mœnia: jam tango, quo licet, illa pede.
Hic pariter tecum: tu mecum multa loqueris:
Sive oriente die, ſive cadente die.
Hic etiam ſtudiis ambo fungemur amicis:
Hinc quoque jungentur brachia noſtra tuis.
Qui fieri, id poſſit; quum longe amotus ab iſtis,
Has agitem curas, hæc ego vota locis?
Quos connectit amor, non illos ultima tellus,
Non circumfuſis diſtrahet æquor aquis.

ELEGIA SECUNDA,

In Nuptias

M. JOH. STEPH. FRID. DISTLERI, Diac. Wildb. & MARIÆ MARGARETHÆ WELSCHIÆ, natæ Hochſtetterianæ.

Stutg. impreſſ. Anno 1695.

Dicebam: Deſiſte Tuis incumbere curis;
Lætitiamq; hilari poſce animumque mero:
Fata viam invenient; Venus aurea novit amantum
Vota, nec ignorat, qua levet aura ratem.

Ipſa ſubit clavum; remosq́ fatigat in undis:
Et vetitas carpit per vada cæca vias.
Quæ forſan hodierna Tibi, præſensq́ negabat,
Craſtina præcipiti refferet hora die.
Spes alit agricolam, meſſem flaveſcere vidi,
Quæ fuerat dira (a) ſemiſepulta nive.
Cum miſeræ fugiunt ſolamina mentis, & altum
In mare, quæ cupias, ventus & unda rapit.
Hæc facit, ut vivas lethi ſub faucibus ipſis,
Et miſero melius cras fore, ſemper ait.
Aſpicis, ut cantet, qui crura revincta catenis
Vix trahit, & valida compede pulſat humu
Non ego, ſi mediis jacter Palinurus in undis,
Spe ſine cærulei naufraga ſulco maris.
Spe trahor, ut cœli ſuperumq́ inimica voluntas
Congerat in noſtrum tela cruenta caput.
Marte quid horridius? fatis quid durius ipſis?
Spes tamen & mortem, fataque dura domat
Tu quoque ne dubita: paucos audacia fregit:
Quid vetat, in paucis nomen abeſſe Tuum?
Crede mihi Diſtlere: hic Te neſcire videris:
Te nimis in tenuem colligis ipſe ſinum.
Aude aliquid, duramq́ refer contra ardua fronte
Hæc hodie cupiet, ſi qua negabat heri.
Quumq́ repulſus eas, (fieri fac poſſe) quid erg
Saxa refer læſum rurſus ad iſta pedem.
Tendebam jaculum necquicquam nuper, & hamu

Digitized by Google

Quo minime rebar gurgite, piſcis erat.
Ut capias, capta: nunquam potieris amata:
Inſidias ſi non mille movebis amans.
Qui non eſt habilis ſtudiis, naturé Minerva;
Fiat ut in ſtudiis ingenioſus, amet.
Hac ego dicebam: Tu vix, Dii cœpta ſecundent!
Quosque dabas, monitus ingrediamur, ais.
Ingrederis ſubdit vires amor: ipſa favebat,
Cui male fidebas, non aliena Venus.
Dicta Deos habuere: fugat Tibi Welſchia curas:
Ilicet, & voti contrahe vela tui.
Vita ſumma brevis ſuadet præſentibus uti;
Nec nimis ante ſuos ſollicitum eſſe dies.
Tuq; etiam vidui curas jam neglige tecti;
Nomen & exſtincti parce vocare viri.
Ah! nimis eſt moroſa; nimis crudelis amanti;
Mixta venenato quæ ſale verba jacit.
Hanc ego vel duro patiar requieſcere ſaxo,
Vel rigidas tenui pellere veſte nives.
Hanc Venus, & Veneris nolint comitare miniſtra,
Tu fuge, nec telis tange, Cupido, tuis.
Invida res amor eſt: proprias accommodat artes,
Quæ ſapit; atque animum, cui volet, ipſa dabit.
Omnia mutantur: quidni mutemur amantes?
Verſatur celeri fors levis orbe rota.
Sana revertiſſet, ſi me foret uſa magiſtro,
Lesbia, Leucadio præcipitata jugo.

Conſule me Dido: profugum ſine: tendat in altum:
Qui velit, & partes occupet, alter erit.
Non decet exanimi manes temerare mariti:
Ille fuit; vacuo ſit timor eſſe thoro.
Quæ tibi cauſa necis? quæ tanti cauſſa furoris?
Sola loca, & ſolum, Sithoni nympha, nemus.
Quo male ſana ruis? per & ardua & aſpera in æquor?
Monſtraq; nec tumidas, dira, timebis aquas?
Venti verba ferunt, profugi qui vela tulerunt:
Stulta redi: dominum jam tibi quære novum.
Si Tua deſpecti fugiunt connubia Thraces:
Mens abit, & miſero votum in amore mori eſt?
Sunt tibi finitimi, ſunt, turba extraria, Reges:
Nec metue externum præpoſuiſſe tuis.
Elige de multis: longis præcordia curis
Solve: fit exiguum, quod bene tollis, onus.
Femina, quo vadis? famulæ retinete furentem:
Me miſerum, fœdo fune pependit amans.
Vera igitur juvenes, juvenumque monemus amores:
Succeſſore novo vincere debet amor.
Effugiunt celeres horisque volantibus anni:
Quam cito de ſummis volvitur unda jugis.
Quam cito cedentes jaculum diverberat auras:
Quam cito terribilis perfurit arva Notus:
Tam cito prætereunt humanæ gaudia vitæ:
Non male, qui licitis ingruit, ille facit.
Vosq; adeo memores dictorum, dum ſinit ætas,

Aurea

Aurea militia tollite ſigna nova.
Quo ferrum flammaq; data? ſic ſævus in armis
Pro patria Danaas perculit Hector opes.
Deſidiam nempe odit amor: diſcedite ſegnes:
Eſt amor ingenii dura ferentis opus.
Adveniet nimis ante diem, tantumq; tumultum
Auferet injecta pigra ſenecta manu.
Infelix, quicunque ſuos fraudavit amores:
Hunc reor effigiem comminuiſſe Deum;
Nec veritum, quum vix perrepere compita poſſet,
Sacrilega ſuperûm tecta cremare face.
Vidi ego, qui calidi leges inverterat ævi,
Poſt fato fieri præcipitante ſenem.
Vidi ego, qui nimium duraverat ante juventam,
Emeritum Veneri reſtituiſſe latus.
Ludicra ſectentur, puerique crepundia quærant,
Et faciles habeat turba puſilla metus.
Sed juvenes levitate magis, gravitate ſenectus
Gaudeat: in medio convenit eſſe virum.
At nos interea nimia formidine nondum
Qui dedimus volucri nomina noſtra Deo:
Interea veſtros votis celebrabimus igneis;
Ante fores qui nunc femina virq; ſumus.
Evenient optata: dedit mihi ſigna futuri
Phœbus, & in dextra tinniit aure ſonus.
Si quid habent vates, ſi quid pia numina poſſunt:
Nec fruſtra aëria voce monemur avis:

Creſcent victrices vobis in tempore lauri:
Sed quas Idaliæ mons gerit ille Deæ:
Ante tubam, vobis mecum quicunque favebit,
Omnis, Jo! magna voce triumphe! canet.

(a) Scriptum erat in editione hujus poëmatii prima v. 10. Semiſopita. Exſtiterunt nonnulli, qui nos impegiſſe dicebant, & vitiatæ quantitatis ſubmonerent. Quibus quidem illo tempore reſpondi, id quod res erat, reperiri multis apud Naſonem locis v. g. Ep. Heroid. Ariadn. Theſeo v. 10. pariter Amor. libr. 1. Eleg. 14. v. 20. Art. Amand. lib. 3. v. 288. itemque in Catalect. Virg. & Martiale non raro. Ubi vero rem mecum ſum penſiculatè magis arbitratus, loca mihi omnia de mendo ſuſpicionem moverunt. Nam & omnia reliqua derivata atque decompoſita produci intelligo, neque, cur hoc unum excipiatur, ulla ſatis ratio, quæ perſuaderet, apparebat. Itaque ubique ſubſtituerim, *ſemiſepulta*, *ſemiſupina*, *ſemireducta*, *aut hujusmodi quid*, ſi per Cod. Mſt. liceret. Meminit certe Sciopp. in Veriſ. Apul. Aſ. Aur. c. 3. Codicis vetuſti Ingolſt. in quo reperiſſet ſemiſopina; Unde conjecturam facio inſcitia librarii atq; exſcriptorum factum, ut ſimiles loci inter ſe permutarentur.

Perillu-

Perilluſtri atq; Excellentiſſimo Viro

SAMUELI STRYKIO,

Reg. Majeſt. Boruſſ. & S.R.I. Elect. Brandenburg. Conſiliario Intimo, Academ. Frid. Hall. Direct. & Prof. Primario,

ὑγιαίνειν

JO. CASPER MALSCHIUS, Prof.

NOn ſine gemitu ſoleo temporis illius recordari, Domine, quo terris & mortalitati ereptus eſt, omnium Literarum ac inprimis prudentiæ civilis ac ſtatus ornamentum, Joh. Georgius de Kulpis. Hunc ipſi quum vivum magnopere coluiſſemus, neque nos ille fortaſſis aſpernaretur, ob certam probitatis, nonnullam ingenii opinionem: factum eſt, ut non ſemel adiremus officii cauſa Virum, quem tanquam conditorem fortunarum noſtrarum obſervabamus, & rariſſime privatis quibusdam de rebus noſtris; ſæpius de inſtaurandis, quæ ille mirifice amabat, humanitatis ſtudiis ſermones pro re nata ſereremus. Eram autem, ſi quid attinet ſcire, illo tempore ejus potiſſimum beneficio atque auctoritate in numerum Collegarum Gymnaſii Stutgardienſis adſcitus, cujus emendationem in

Digitized by Google

ſe ſuſceperat idem, non ineptus neque indi
ligens harum rerum auctor. Sed quum ill
viderentur in diſceptationem venire poſſe
quæ ipſe ſuper ea re ſtatuiſſet; non enim e
idem omnium ſenſus, præſertim in eo gene
re doctrinæ, in quo nemo facile eſt, quer
intelligentiæ ſuæ pœniteat; ſæpe ſolebat V
in omni ſtudio Laudis excellens copios
diſſerere, quæ mireris attigiſſe, qui eſſet a
ineunte adoleſcentia aliud animo, longequ
diverſum eruditionis iter ingreſſus. Quo
mihi quidem tanto magis eſt admirabile v
ſum, quanto minus ignorarem, quibus cur
curis, quibusque negotiis, distractum opor
teat eſſe, qui tempore tam ancipiti, accide
rant enim hæc, ſub ipſa Pacis ineund
principia, ad quam ſe parabat, magni Prin
cipis, multarumque civitatum rationes con
ſiliaque publica gubernaret. Id autem eſ
miraculo deſiit, poſtquam aliquando dil
gentius expendiſſem, quæ viri docti de cel
ritate quadam incredibili mentium hero
carum memoriæ prodiderunt. τὸ θεῖον, op
nor, illi vocant, cujus ea vis eſt, ut, in qua
ſe cunque partem convertat, illam æqua
merito deſperet, qui mediocri ſit ingenio n
tus. Ἀλλὰ γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui iſta adve
ſu

Google

ſum Te. Quum igitur ille tempore quodam, ut occepi dicere, de promovendis liberalium artium ſtudiis multa prudenter attuliſſet, apteque tranſitione facta negaret, quenquam ſuſtinere tuerive famam docti Viri commode poſſe, niſi qui ſit hujusmodi literarum eligantia perpolitus: ibi memini candidiſſimum ingeniorum æſtimatorem, Te præcipue, & virtute & exiſtimatione principum Virorum illuſtriſſime Stryki, tanquam exempli cauſa, ſtatuere, qui tanto potiori jure teneres in Juſtitiæ legumque foro principatum, quanto politius ea ipſa legum Juſtitiæque ſacra literis æternisque memoriæ monimentis commendares. Hoc judicium de Viro, ætatis noſtræ uno maximi nobiliſſimique nominis, profectum ab eo, qui, quur obnoxia quenquam æſtimatione metiretur, non habebat; poſteaquam anno pene poſt abiiſſet hinc in communem locum, quanto cum dolore meo nolo commemorare, Kulpiſius: ita deinde confirmatum eſt, nec obſcuro nec vario ſermone, ſed & clariſſima, & non omnium una voce, ut cum interim eſſem Sereniſſimi Ducis Würtembergiæ decreto Tubingam, ubi intermiſſa ſacrarum literarum ſtudia revocarem, aman-

datus;ad eam partem laudis, quam antea ſcr
ptorū tuorum Tibi peperit autoritas, ea parite
acceſſerit & eximiæ liberalitatis, & ingenii
plusquam dici poſſit, humani. Unde ſæpenu
mero mihi ſum animo repræſentare ſolitus
Virum quendam ingentem, omnium virtut
choro tanquam pulcherrimo ſatellitio ſtipa
tum: Eum ubi ſatis mecum exornavi, quantun
quidem in tanta ingenii & orationis pau
pertate fieri potuit: videre mihi, ac quodam
modo præſentem ſum intueri viſus, quali
ipſe communi ore famaque ferebare. Hi
ego ſum conſulto parcior, quam conceptun
virtutum tuarum. Εἴδωλον fortaſſe. velir
Sed veniunt in mentem, quæ apud magnum
poëtam, cujus ſingula dicta, teſtimonii loco
habebat ſummus Orator, legere memini
Αἰνούμενοι γὰρ οἱ ἀγαθοὶ τρόπον τινὰ μισοῦσι τοὺς
αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν: Cum præſertim
oratio mea non magis virtuti Tuæ, in illu-
ſtri poſitæ monimento, lucem afferre, quam
ſoli, quum eſt nitidiſſimus, accenſa fax
aut funale addere ſplendorem poſſit. Hoc
volo; quum publico ſeculi judicio commit-
tere ſcripta quædam mea decreviſſem; quæ
quidem ætatem latuiſſent in Veſtæ opertis,
basque magno quodam Viro ſi fuiſſet; in
iisq;

Digitized by Google

iisque cuperem obſervantiæ ac pietatis in patronum defunctum meæ quædam extare monimenta: cui ea ipſa mitterem, quem Tibi præferrem, non habebam, quem & eſſe humanitate ſumma non eram ignarus, quæ quidem ſive virtus, ſive ἐπίμετρον quoddam virtutis nihil eſt ad reliquas animi tui ac prope divinas dotes, & graviſſimo viri graviſſimi teſtimonio ornato ſperabam minus ingratum, quicquid hoc eſſet officii, futurum. Tenue, fateor, munuſculum; ſi ex ſua dignitate veneat, ſed fortaſſe compenſabitur affectu, ſi quid deeſſe magnificentiæ doni videtur. Quam ob rem noli quæſo, Vir illuſtris ac noſtræ Scævola tempeſtatis!, aſpernari, quæ ingenti auſu viam ad Te, tanquam ad communem Muſarum præſtitem, affectare vides. Quod ſi muneris auctorem hominem non malum eſſe putas, non fallam opinionem tuam. Durlaci d. 7. A. Cal. Martij Anno MDCCI.

ELE-

ELEGIA TERTIA.

Jo. Georgii de KULPIS,
Sereniſſ. Ducis Würtemb. Conſil. Int.
& rerum Eccl. mortem deflet.

SI dedit inferias forti Dea mater Achilli,
Rettulit & cineri debita juſta ſuo:
Flete nefas, Elegi: vere miſerabile carmen;
Et ſævo teneras ungue notate genas:
Occidit heu! vindex, Latium quo ſoſpite & Hellas
Viſa fuit tumulo tollere velle caput.
Occidit ingenuæ decus admirabile turbæ:
Et jacet in tenui corpus inane cado.
Aſpicis, inverſis ut eat lacrimabilis armis
Phœbus, inornatis horridiorq; comis?
Muta dolore lyra eſt, nulli memorantur amores:
Silva tacet; ſola triſte queruntur aves.
Curia mœſta jacet; proceres cum principe, tanto
Dant lacrimas cineri, cum lacrimisq; fidem.
Ante alios Princeps, cauſa patriæq; ſuaq;,
Sed primum patriæ, dein dolet ipſe ſua.
Publica Libertas toties hoc vindice nixa
Ingemit, & novus hinc an mihi ſurget? ait.
Cui Themis æquali diſcrimine vertimur, inquit:
Secula num ſimilem ſunt habitura virum?

Cætera

Digitized by Google

Catera turba palam luctus oſtendit apertos:
Singultu medios impediente ſonos.
Vos quoq; Pierides, & mecum flete Poëta:
Flete precor; non hoc gaudia tempus habet:
Credimur egregie divorum cura: fefellit,
Qui vates animum dixit habere deum.
Orphea Calliope laceram crudeliter ora
Vidit in Iſmaria turpe cadaver humo.
Quid Thamyram dicam ſuperum de ſtirpe? Linonq;?
Carmine quid ſilvas iſſe? quieſſe feras?
Vt periere pii, pariter periere potentes:
Effugit extremos nullius umbra rogos.
Qui pedibus magnum potuit ſuperare profundum,
Inq; ſalo & liquidis late equitavit aquis,
Oſſa dedit terra, ...! pontum profuit Helles,
Aut Aſiam ante ſuos procubuiſſe pedes.
Et quid nos pia muſa juvet? quid carmina Phœbo
Digna? quid innumeros evigilaſſe libros?
Quid poterant leges? quid amor? quid gratia magni
Caſaris? irati cuncta tulere noti.
Vive pius; moriere tamen: face ſacra, diuq;
Thura fer; à ſacris in tua buſta redis.
Et curis operare; rapit ſecum omnia letho
Et rogus infelix, & niger ille dies.
Ergó ne, qui magnum meritis impleverat orbem,
Vix erit in gelido parva favilla ſolo?
Ergo ſepulcrales peredant tua viſcera vermes?

Regnet

Regnet & in membris impia turma ſacris?
Oppida de tumulis: urbes de pulvere ſurgunt:
Quid? numero miſeri deteriore ſumus?
Exuit annoſis ſenium cum pellibus anguis,
Florida quum tepidi tempora veris agit,
Vivit edax vultur, cornixq; inviſa Minervæ;
Illa quidem ſeclis vix moritura novem.
Abſtulit una dies tantum decus. ibis ad umbras,
Dignus eras Pylium qui ſuperare ſenem?
At ſcelerum artifices, infauſtaq; pondera terræ
Aſpiciunt canos, nec meruere, ſuos.
Sic fieri adſuevit: fugiunt meliora, ruuntq;:
Terræ odium vivit, quem tamen ira premit?
Hectora ſic ſævum fatis occumbere adulter
Vidit, ab Hæmoniis quum raperetur equis.
Tot rediere duces: quota pars æquabat Achillem?
Hunc Phrygiæ ambuſtis oßibus arva tegunt.
Singula quid referam? quæ multi vota ferebant?
Vota per & Taurum Bactraq; juſſa trahi?
Tempus ad hoc luſtris, nec erant, bis quinq; peractis
Omne fuit vitæ, ſed ſine labe, tuæ.
Occidis; & noſtræ tecum ſolamina mentis
Sævus hyperboreum per mare ventus agit:
Non tamen hoc nihil eſt: manuum monimenta tuarũ
Parte ſui vitam nobiliore trahent.
Ante ſalutarem ſenſit Germania dextram:
Ut deſint homines, te tua ſcripta vehent:

Inti-

Digitized by Google

Intimus ante Ducis numeratus es inter amicos,
Tam gravis ante homines, quam pius ante Deum.
Pace reportata factoq; ita fine quieſcis:
Hic tenuit portum ſalva carina ſuum.
Eſt locus in mediis longe pulcherrimus aſtris;
Qua via cæruleum lactea ſignat iter:
Vt perhibent, illic, animæ, pia turba, vagantur:
Dantq; operam ludis, quum premit oſſa lapis.
Currunt innocuis illic heroës in armis:
Sunt odio hic ſordes: hæc loca numen amat.
Hos inter radiis vadis ſpectabilis aureis:
Vitta tegit crines: inſtita longa pedes.
Obvia Vicanę *(1) venient hic nomina gentis;*
Dura quidem illa Elegis: ſed magis apta diis.
Vos quoq; Wittenii, *ſi falſo crimine partes*
In varias miſeri non meruiſtis agi.
Hi tibi ſunt comites: ſi quid niſi, nomen inane, es:
Auxiſti numeros nobilis umbra pios.
Salve, ſancte Pater; terra ſalvete ſub ima
Kulpiſii manes, oſſaq; magna viri!

Vicana (1) hic intelligi volo viros illos, doctrina cæteriſque virtutibus clariſſimos, Seckendorff, inquam, & Pufendorf; qui quoniam ab aſperitatem nominum ingredi mollitiem Elegorum non poterant: alluſio veriſimiliter eſt facta ad τὸ Dorf; quod palam eſt Latine efferri per τὸ Vicus.

ELE-

ELEGIA QUARTA.

Anniverſaria ejusd. Memoria.

KULPISII *manes, cineresque herois, & oſſ*
Quicquid & Elyſii nunc habet ora ſoli
Siquid id eſt, vacuas quod non exſpirat in auras,
Accipite hæc animi poſtuma dona pii.
Annua ſacra fero, puraq; in veſte ſacerdos
Luſtro locum: meritis hic erit ara tuis.
Hanc mihi funerea mens eſt vincire cupreſſu:
Ite procul turpes; hæc vetat umbra nefas.
Ferte mihi morum: color eſt aptiſſimus ille:
Ille juvat: ſacris convenit ille meis.
Necte comam vitta: digito ne læde capillum:
Ter ſpue: feralem voce ter ede ſonum.
Perge puer, buſtisq; invergere vina memento:
Inferias fieri ſic voluere dii.
Verte cadum à ſummo: viden' ut ſine murmure laxet
Vt tumuli cæcas tranſeat unda fores?
Juſta placent divis: ſilvæ ſonuere tacentes:
Et ſubito plures concinuiſtis aves.
Sumite, quas teneo, funebria ligna, tabellas:
Et date marmoreis hæc monimenta libris:
Dumq; piis pretium ſtabit, quos ille colebat,
Ante diem exſtincti fata dolete viri.

Digitized by Google

Illa dies, tanti quæ conſcia funeris eſſe
Suſtinuit, miſeris ſit precor atra modis.
Hæc erit in faſtis, per quam tria verba ſilebis:
Hanc fuge: nam cauſſa judicioq; cades.
Hæc mihi poſt Nonas cenſebitur Allia & Idus:
Hæc fuit Auſoniæ, quod fuit illa mihi:
Quid facitis? miſero ſolantia verba ſodales
Tollite: quæ tanto par medicina malo eſt?
Scilicet, ingenti quod olympus in imbre videbat,
Hoc poſſim ſiccis ipſe videre genis?
Quid deceat, rigidi ſtatuunt ſtatuantq; Catones:
Mene modum lacrimis poſſe tenere meis?
Heu mihi! quo rapior? ſocii retinete cadentem:
Deme mihi crines: ſi quis amicus ades.
I pars exanimi viliſſima corporis, inque:
Et face propitios, quos videt ille, Deos.
Tu procul ex alto, ſi qua eſt Tibi mutua noſtri
Cura, fave ſacris muneribusq; meis.
Et cognoſce tui ſine fine clientis amorem:
Aetherea cœli ſi quid ab arce vacas.
Interea miſeri mœſtiſſima turba poëtæ
Laude vehent animos non moriente tuos.
Ipſe tuas laudes, quamvis ego cura tuorum
Vilis eram, merui ſed minor eſſe tibi;
Ipſe tuum nomen, quanquam nil vatis egebat;
Per mare, per terras aſtraq; ſumma feram.
Trans ego Cyrenem, trans Biſtonis audiar oras:

Qua-

Quaq; plaga aſſiduus ſolibus uſta riget.
Ante domo parva, per nos habitabis in orbe:
Poſtera nec titulos neſciet hora tuos.
Ipſe oriente die lacrimarum, ſive cadente
Et luctus ſemper cauſſa recentis eris.
Te vigilans cernam: noctiúq; ſilentis in horis
Excuties ſomnos absq; pavore meos.
Ante meos oculos heroa vagaberis umbra:
Umbra; ſed o vati ſemper amica tuo.
Ah pereat, quicunq; poteſt male gratus haberi;
Audet & officii dememiniſſe ſui.
Si videor noſtro nimis eſſe in amore fidelis,
Non moror: ingenii culpa ſit iſta mei.
O utinam mihi ſola ſit iſtac cauſſa pudori;
Gloria contingat manibus iſta meis;
Atq; aliquis digito longe deſignet euntem;
Hic eſt, Kulpiſii quem ferus urit amor.
Urit enim certe, nec deſinet; omnia donec,
Quod ſumus, injectus pulvis & oſſa tegat.
Auguror: accedet noſtro tua fama ſepulcro:
Et tumulo lethi cauſſa legere mei.
Et dabit adveniens, ſcribetq; breviſſima vates
Verba, quibus longo tempore notus ero.
Hoc jacet in buſto, quem rapti extinxit amici,
Et dolor, &, tanti cauſſa doloris, Amor.

ELE-

ELEGIA QVINTA.

Amandi leges:

Ad

Jo. Eberhard. RöSLERUM,
Eloq. & Poëſ. in Academ. Tubing.
Prof. Publ.

NUPTIALE.

Sollicitent alii remis freta; monſtraq; ponti,
Aſpiciant ſiccis Naiadasq; genis:
Impiger extremum mercator agatur ad Indum,
Vt referat ventis, unde perire juvet:
Quem non mœſta domus, quem non revocare parentes,
Non potuit fuſis blanda puella comis:
Hunc Libye in nudo generavit inhoſpita ſaxo,
Quum rabidus flammis ureret arva Canis.
Repperit exanimum caſu, ſed acerba tuentem
Vel lea, vel ſi qua ſævior ulla fera eſt.
Et madida ora gerens, metuendaq; cæde recenti
Ubera ſemineci ſanguinolenta dedit.
Hunc etiam in ſilvis, interq; remota locorum
Credibile eſt puras nunquam habuiſſe manus.
Quumq; data eſt primum cumulare licentia prædas,
Polluit audaci ſacra Jovemq; manu.
Ten' ego, qui Veneres, qui, perfide, ſpernis Amores,
Eſſe

Eſſe velim, voto qui potiare tuo?
Durior es ſcopulis, adamante ferocior omni,
Triſtior hiberno, quum furit aura, freto:
Marte quid aſperius? vel quid Jove majus habemus?
Martem Amor, ingentem perdomuitq; Jovem.
Bacchus ad Auroræ populos, & ad ultima ſolis
More feros domiti Lyncas agebat equi:
Riſit Amor, ferrum vitaveris, inquit, & hoſtes:
Me quoq;, quæ potuit, pars quotacunq; fuit?
Novi ego, qui jaculum ſpernebat Amoris, & arcus;
Cum ſibi virtutis propoſuiſſet iter:
Vincula, dicebat, jam ſum meus, omnia rupi:
Jam mihi libertas illa paterna redi:
Hactenus indignam venia ſit amaſſe puellam:
Pulcra quidem eſt, ſed non cara Neæra tamen.
Non me blanditiæ, non circumfuſa tenebunt
Brachia: mors curſum finiet una meum:
Dixit, & ad Venerem; turpiſſima mater Amorum,
Utraq;, cum veſtro, turba, valete grege.
Jam novus ingrediar muſæia ſacra ſacerdos;
Arma canam, vidi quo pede bella geri.
Ibat atrox animi vates meus: audiit Iſter,
Et capite à ſummo verſa cucurrit aqua.
Ipſe, ſibi ſuperans, qui me manet exitus? inquit:
Sidera jam noſtris alta teruntur equis.
Terra vale, & fidi, quondam mea cura, ſodales:
Jam nihil eſt, noſtrum quod remoretur iter.

Vide-

Digitized by Google

Viderat in mediis hunc nubibus aſtra prementem
Heu; miſero ſubiti cauſſa puella mali.
In caput ille datus per inane, cadensq; quid inquit,
Jucundo volui ſic ſine amore mori ?
Viderit hic, dices: non ſe meus aptat ad omnes
Ignis: amem, ſi non eſt, quod amare velim?
Méne rogas, illo tibi tempore quid ſit agendum?
Conſilium multa commoditatis habe.
Si non obtigerit cultiſſima forma puellæ:
Quam fugiant Fauni, capripedesq; dii,
Et ruber hortorum cuſtos metuiſſe feratur,
Sic Amor, inviſum deſine, dixit, opus.
Sin faciem atq; oculos habeat tua vita potenteis,
Sævus es, hanc ſi non impatienter ames.
Huic volupe eſt ſervire mihi, juſſiq; ſequemur,
Qua via nulla rotæ pervia, nulla rati:
Illius imperio ventoſq; feremus & imbreis;
Ibimus, infeſto ſi tonet igne polus.
Non grave frigus erit, ſitiensve Canicula aduret:
Non nemora, aut montes, non metuemus aquas.
Me juvat antevolare ferentibus eſſeda mannis;
Cum mea longinquum vita ſequatur iter.
Et ferri, ut per plana ruit ſola verbere turben,
Aut pila, quam celeri verſat ab arte puer.
Nec pudeat raſtrum portare, manuve bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.
Illa mihi leges victrix ferat: illa quoq; in me

Con-

Digitized by Google

Conſtituat pœnam, quam volet: ipſe luam.
Si meruiſſe putat; merui, mitiſſima, dicam:
Vincula ſacrilegi dura ſubite pedes;
Scilicet eſt aliquid, per multa pericula poſſe
Illius arbitrio vivere, poſſe mori.
Multa feret, quicunq; fideliter optat amari;
Multa feret, forti non patienda viro.
Vidimus, eſſe, ſuæ qui verbera ferre puellæ
Noluit, & collo vincula ſerva pati;
Atq; infame putans animæ ſervire decoræ,
Iudicio ſecum poſſe negabat agi.
Hic ſenior, mollis magis, & minus utilis, inquit:
Heu mihi, cur non ſum fortis, ut ante fui?
Vt ſine ſole dies, Luna ſine lumine noctes:
Ut Nicer, amiſſis quum ſitit ager aquis:
Sic turpis ſine amore thorus, ſine conjuge lectus:
Hic Jocus, hoc primum Gratia nota loco eſt.
Quid dabit Æacides, ſcelerumq; repertor Ulyſſes?
Et pius Æneas, Aſcaniusq; puer?
Iſta canant illi, quorum ungula pulſat equorum
Sideraq;, & rapidos ſolis euntis equos.
Sed nobis Erato, ſedet, quibus urimur, ignes,
Et doceat leges ſæva jubentis hera.
Ipſe trahat ſecum ſine fine modoq; Cupido,
Imbelleſq;, Elegi, verba miniſtra Dei.
Et licitos luſus, conceſſaq; furta novemus:
Dum vacat: in magno, quæ datur, hora lucro eſt.

Hæc

Digitized by Google

Hæc præcepta dedit diſcendo in amore magiſter,
Quem tulit in Geticos Cæſaris ira ſinus.
Hæc repeti voluere: adeo rapit omnia tempus,
Vt prope lethæis merſa ferantur aquis.
Quæ prohibere decet; ſi cui Cytherea favebat:
Charus enim vates, ſcriptaq; vatis erant.

ELEGIA SEXTA.

Nuptias

Jo. Eberardo RöSLERO,

gratulatur.

TEmpus edax ſilices, æternaq; robora ferri,
Saxaq;, & indomitum ſenſim adamanta (terit.
Quid supereſt magnis niſi flebilis urbibus umbra:
Has tellus, illas æquor & unda tegit.
Troja quid eſt, niſi inanne ſolũ! meminiſſe nequimus,
Roma triumphati quum caput orbis erat.
Omne rapit tempus, quodcunq; videtis, idemq;
Invidiæ neſcit ſævitiaq; modum.
Quo magis, o juvenes, moneo juvenumq; dolores,
Flava pharetrati ſigna movete Dei,
Dum vires patiuntur abit levis hora juventæ:
Quem cito vela rapax per mare ventus agit.

Et ſtipulæ graciles, quas turbidus incitat Eu
Per ſola, per liquidas præcipitantur aquas
Tuque adeo inprimis, quem nunc nova jura pete
Vidimus ad dominæ procubuiſſe fores,
O decus Aonidum, juſtiſſima cura, Roſari,
Dum cupient docti verba Latina loqui;
Mitte cothurnatos inter ſua prælia vates,
Quiq; Phrygum campos & Simoënta canu
Ilion & Tenedos, Xanthusq; & Achaica caſ
Nomina ſunt ipſo vel metuenda ſono.
Quid tibi profuerit, quos quos habet Itala t
Aſpera judicii fata timere tui;
Quid Maro, quid Tacitus, niſi monſtra nefaria ſi
Quæ tulit, & forſan non feret ulla dies?
Ne tibi ſit tanti tractus aut dicere cœli,
Tethyos aut tumidas ſæva ſonantis aquas.
Ut minimi curare tuam videare puellam:
Ah pereat; lente ſi quis amare poteſt.
Quumq; parem antiquis addat te fama poëi
A tota meritum poſteritate legi:
Non erit indignum lauru ſacrare corymbos,
Sertaq;, quæ cupido nectit amica viro:
Et dare blanditias, Elegosq; reſumere molle.
Quaq; juvent, illi verba ſecunda loqui.
Felices animæ, ſubitisq; caloribus icta:
Si quid habent veri, quæ monuere pii:
Interea, dum fata ſinant, date frena juvent.

Jam venient rugæ, quæ male corpus arent:
Et vigiles curæ, atq; inſomnis inopsq; ſenectus:
Horaq; , quæ ſolvet, quum venit illa, duos.
Sera ſit hæc utinam vobis, & inertior ætas
Deſerat hic numeros, non niſi plena, ſuos!

ELEGIA SEPTIMA.

Illuſtri Viro,

Jo. Rudolpho SEUBERTO,

Sereniſſ. Duc. Wirt. Conſil. Int. & Expeditionum Eccleſiaſticarum

DIRECTORI.

Nox erat, & tacitæ per amica ſilentia Lunæ
Sopierant vigiles ſomnus, & alta quies.
Solus ego, & lepidæ mecum mea numina muſæ
Inſomnes circum ſtrata jacentis erant.
Somne veni: nam quæ clamabam cauſſa morandi eſt?
Clamabam: tenui murmure: ſomne veni.
Nam neq;, quas habeo, pavor ullus obambulat ædes:
Nec videor tacito forte dolore premi.
Non tibi trux Boreas, non ſævum obmurmurat Auſter;
Jam ceſſant rigidi dimicuiſſe Noti.

Ipſe feram tenerum media tibi nocte papaver;
Unde tuis nectam ſerta gerenda comis.
Ipſe tibi laudes, votivaq; carmina ſolvam:
Si quid id eſt, ſumes carmina, vatis opes.
Vox erat in curſu: convicia ſæva parabam:
Et ſatis irarum, ſed minus oris erat.
Cum ſubito nudæ ſonuere cacumina ſilvæ,
Aviaque, & ripæ lene ſonantis aquæ.
Plenaque lætitiæ ſubitarum nuncia rerum
Fama mihi ſonitum viſa dediſſe pedum.
Verbaque præterea: Quæ prima à luce Novembris
Altera, Lucina læta favente fuit.
Hac rea votorum Seuberta puerpera facta eſt:
Hac poſuit partum molliter illa die.
Dixit: at Euphroſyne, charitum pulcerrima, vocem
Excipit, & verbis ultima verba ſuis.
Non equidem audivi: nutricem audiſſe ferebant:
Membra metu miſeræ diriguiſſe palam eſt.
Parve ſub o ſudi lumen ſpirabile cœli
Edite, nunc hominum cura Deumque, puer.
Parve Puer, magnis olim ſpectande periclis:
Hæc audi, & curæ verba loquentis habe.
Cum tibi pubeſcens agili pede venerit ætas:
Laverit & faciem fons pede factus equi.
Ibis ad Aonios montes, celebrataque vatum
Antra: mea, dices, hic loca ſedis erunt.
Hic Sophiæ in magna juvenis ſpatiaberis aula,

Pone

Digitized by Google

Pone latus ſtabunt ex Helicone Deæ.
Hic tibi naturæ reſerata arcana pateſcent;
Inque domos ſuperum ſæpe tenebis iter.
Scilicet æterno volvantur an omnia motu?
Oceanus ſubitis quidve tumeſcat aquis?
Cur ſiccis Boreas, madidis Notus evolet alis:
Ætna vomat flammas, vaſta charybdis aquas.
Nec ſatis his: mores populorum & civica jura,
Ingenio cauſas mille datura Tuo,
Illuſtrem facient, & magna laude fereris,
Quum tua pro miſeris arma movere voles.
Tum Nicer exultans, tantoque elatus alumno
Ardua muſcoſum tollet ad aſtra caput.
Teq; parem antiquis patriam revocabit in urbem;
Sed veniens nullo rurſus egebis equo:
Nam nive candidior, pernicibus incita pennis,
Fama feret dorſo non moritura ſuo.
Nec metues fati, nec operti clauſtra ſepulcri;
Sed meliore tui parte ſuperſtes eris.
Parve, quid o lacrimis infantia lumina turgent?
Inq; genas mœſta labitur imber aqua.
Tum decuere illa, quum Martia bella tumerent:
Quum nobis cauſſa, cur gemeremus, erant.
Cum furor & vis, & ſtrictis mucronibus enſes
Ante oculos magni ſtaret imago mali.
Nunc ſecura quies, nunc deſidis otia vitæ:
Quæ, ſuperos, demto fine, precamur, eant.

Ipſa tibi, nutrix, Erato, velut altera, carmen
Quod ſomnos poſſit conciliare, canit.
Dormi parve puer; ſin te ſitis arida tanget,
En Tibi! quæ ducas, ubera matris habes.
Sponte ſua venient ſitienti Aganippidos undæ;
Aonius cum te lucus & umbra tegat,
Et tua te ſtolido ſecernat gloria vulgo!
Quo te vota vocant, huc tua vela volent!
Iſta ter Euphroſyne: cœlo pater audiit alto,
Et, rata, dicebat, verba canentis erunt.

ELEGIA OCTAVA.

Ad Viſitat. Acad. Tub. Magnif.

Dn. MAXIMILIANU[M]
à MENZINGEN,

&

Dn. JACOB. FRIDERI[C]
à RHULE,

Utrumque Sereniſſ. Ducis Wirtemb. Con[ſil.]
Intimum, illum pariter Brackenh. Satra-
pam, hunc rei Eccl. Directorem.

Digitized by Google

nec non

DN. JO. WOLFG. JÄGERUM,

Theol. Doct. Conſil. Abbatem Maulbr. Eccleſiaſten Metropolit. & Conſiſtorialem.

AOnii montes, & laudatiſſima vatum
Quid juga Parnaſſi, quo teneantur, habent?
Nunc Helicon certe, colliſq; biverticis arces
Non niſi nominibus ſunt mihi nota ſuis.
Non ego Pieridas, non ire in carmina credo
Per virides lucos, per juga ſumma, Deam.
Deſertæ valles, denſaque in vallibus umbræ;
Delicias Pindi barbarus hoſtis habet.
Barbarus hoſtis habet; diſcedere finibus illis
Juſſa foras vatum eſt cum duce turba ſuo.
Quid faciat? latum Phœbus fugit exul in orbem:
Et via ſolliciti plena laboris erat.
Quiq; ſub auſtrali profugusq; ſub axe Boréo
Ibat; & Eois Heſperiisq; plagis:
Sic tamen & terras, & multa per æquora vectus
Non poterat fati jura novare ſui.
Mitius exilium ſaltem ſine fine rogabat,
Et ſedem, quo non barbarus iret eques.
Ergo ego, dicebat, Cyrrha ſolioq; carebo?
Nec, ſuper hic nobis, quo ſedeamus, erit?

Ecquod erit tempus, quo ſacra antiqua reviſe
Et quæret numeros ille vel iſte meos?
An mihi barbaries, plus quam Jovis ira, vel ig
Officiet, nullo diſcutiente metum?
Tunc equidem armenti paſtor malim eſſe Pher
Denuo, tardipedes & domitare boves:
Nec perjuram iterum Trojam ædificare recuſem
Præmia ubi à tanto nulla labore tuli:
Plura minabatur: creſcebant jurgia, & iræ,
Maximaq; irarum cauſſa quietis amor.
Aſpicit hic læva lucos à parte Tubingæ
Umbroſos, & cum collibus antra ſuis:
Miratusq; Nicrum leni pede culta ſecantem,
Hic ego, quod cupio, quam bene dixit, ero:
Hic ego Pierios videor cognoſcere montes:
Et vada Permeſſi, Caſtalidumq; lacus.
Hic juvat heroës, miſtosq; heroibus ignes
Dicere, & Orpheam ſollicitare chelyn.
Vosq; adeo primi, quos hic vidiſſe juvabit,
Aonius dum me lucus & umbra colet:
O decora, o famæ merito pars maxima noſtræ,
Eſte ſalutati, quo licet, ore mihi!
Auſpicibus vobis laudum certamine pubes
Tollitur, & pretium grande magiſter habet:
Adventu veſtro magna nos parte valemus:
Litoraq; exilio tuta fuere meo:
Quod licet, & poſſum, reddam pro munere ta

C.

Digitized by Google

Carmen ego: hic noſtras ſumite, carmen, opes.
Vos præſens magnos, vos poſtera noverit ætas;
Hoc faciant illi, qui pia facta probant.
Nec veſtris lector bene dicere deſinet umbris:
Quo dare nil potero munere majus ego.
Dumq; Aganippæos iſto de vertice fontes
De pede Gorgonei vena refundet equi:
Ut pereant ſcripta, monimenta perennia, muſa,
Efferet, & meritos fama loquetur anus.
Dixit: & impulſa ſubito teſtudine nomen,
Quod maneat, dominis inde locoq; dedit.

ELEGIA NONA.
ad
Per-Illuſtrem, ac Generoſiſſimum Virum,
Dn. Jacob. Frideric. à RHüLE,
&c.
Judicium de ſe tanti Viri ſe minime
mereri.

MUſa, tuum lauro ceſſas operire poëtam?
Nonne voles illi ſerta gerenda dari?
Haud etenim tenues numeros ſpirare putamur,
Verba ſed à vulgi grandius ore loqui:
Seu Tragico jubeor ſuras vincire cothurno;
Singula, quæ debet, verba cothurnus habet.

Stamina ſeu lepidi digitis feriuntur Horatij;
Quam feror artifici fila movere manu?
Sed ſimul à verſu quandoque recidimus unum,
Quo decor in vitio eſt, inferiore pedem:
Tollimur, & magno conſurgens fama theatro
Voce modos clara, verbaque noſtra refert.
Atque aliquis de plebe: ſuo de funere Naſo
Vivit in ingenio, culte poëta, tuo.
Vera quidem non ſunt: tamen eſt audire voluptas:
Nec mihi credulitas cauſſa doloris erit.
Non heri vel nuper mea ſcripta Roſarius ævo
Digna putat; quo ſum teſte beatus ego.
Færtſchius hæc pariter, pariterq; Hillerus amabant:
Nomina non tacta candidiora nive.
Sunt etiam, qui nos mirantur habere leporem;
Cum gelidi ſolas fontis amemus aquas.
Errantes animo patiente feramus amicos;
Qui volet, invideat laudibus iſta meis.
Te quoq; de ſtudiis mirum, Rhüli optime, noſtris
Judicio falli ſic potuiſſe tuo?
An quia ſum numeris paulo levioribus aptus,
Quæ refero ſcriptis, omnia pondus habent?
Integra non potuit ſeclis afferre futuris
Naſo, Tomitana non tumulandus humo.
Muſaq; tam felix, nivibusq; ſimillima ponti,
Neſcio cui viſa eſt, vix prope digna legi.
At puero jam tum Permeſſia ſacra placebant,

Magna-

Magnaq; vis fandi, non habitura parem.
Sponte ſua numeri, mellitaq; verba fluebant,
Et, qua ſcribebat, lingua parentis erat.
Méne placere putem? levioraque pondere ariſta
Ingenii vivant hæc monimenta mei?
Non mihi ſum tanti: nimis, Icare, ſumma petebas:
Terreor exemplis admoneorque tuis.
Illa meis olim veniat ſi fama libellis,
Quum perararit iners ruga ſupercilium;
Non mihi Pactolus, pretioſáve gentis Iberæ
Litora cum fulvis anteferentur aquis.
Tum rude donatus quercu mea carmina figam:
Pauca geret noſtra ſcripta tabella manu.
Hanc Rhüli *Tibi muſa Chelyn. nam ſe tibi debet;*
Hæc fuit apta mihi, ſed magis apta tibi.
Quicquid erit, veſtri ſpes ut mihi facta favoris,
Ingenium fecit grande faventis amor.
Qui, precor, ut duret, meq; & mea ſacra modoſq;
Servitii faciat tempus in omne tui!

ELEGIA DECIMA.

Ad

Nobiliſſimum Virum,

Dn. Michaelem Bulyowskj, de Bulyiz,

Quum proficiſceretur ad capeſſend. Ill. Gymn. Durl. Prorect. munus.

PROPEMPTICON.

Ergo erat in fatis, noſtræ ut Cynoſura juventæ
Sola mihi, in tantis eriperere malis?
Nec mea vel pietas, vel fructum vota videbunt,
Debuit officio quem dare muſa tuo?
Ipſa parata quidem eſt: ſed fortia facta paranti
Fortia præ nimio facta timore cadunt.
Sic quondam, memini, bellum cædemq; tonabat,
Prælia qui nunquam vidit & arma geri.
In manibus ferrum eſt, dicebat, & haſta furentis:
Illa, quis ignorat? fata necemq; ferunt.
Hoſtis abi ceſſim: jubeo gaudere ſepultos:
Pro patria victi qui potuere mori.
Quodq; velint manes, infletaq; turba cadentum,
Jam venio veſtri funeris ultor ego.
Obſtitit huic caſu facies inamœna, jacebat,
Qui modo vel cœlo bella parabat, humi.

Sic

Digitized by Google

Sic ego, quum gravior ſurgit dolor intus amanti,
Ire queam contra, quam natat unda, viam.
Et decor & facti pietas, & cætera in ipſis
Omnia ſunt oculis, omniaq; auget amor.
Sed pavidum metus urget ubi ſine fine malorum;
Heu metuo curſum, deſtituoq; ſequi.
Ergo ego te potui per tela neceſq; virorum?
Tempore non potui pacis, ut ante, ſequi?
Quiq; Puer tecum nec bella morabar, & ignes:
Fortior invidia terga premente dabo?
Quisquis eris, moneo: tumidæ diffide juventæ,
Et temere infirmus deſine magna loqui:
Una dies animos, ventoſaq; dicta probabit:
Conſcia perfidiæ ſæpe futura tuæ.
Hæc ego cognovi volvendo ſcripta priorum:
Vera ſed exemplo ſunt modo facta meo.
Ante retro fluvii vertentur ab æquore, dixi,
In caput, & rapidi ſolis euntis equi.
Ante quoq; in tenues evadet ſpiritus auras:
Et cinis abſumto corpore parvus ero:
Quam te deſtituam. Si mentior, obruar undis,
Inq; mea patria, cum patriaq; cremer.
Hæc ego dicebam: quæ nunc per Bactra, per Indos
Horrida nimboſi diſſipat aura Noti.
Heu mihi, cum doctæ peterem ignoranda Tubingæ
Mœnia: cur nulla ſigna dediſtis aves?
Quæ cadit ante diem temere irritata voluptas

Acrior eſt, magni vimq; furoris habet.
Nec dolor hic citius, quam me mea vita, relinquet:
Tempore ſed vires ſumet ab ipſe ſuo.
At, quoniam acceſſit, tanquam loca plura paterent
Vulneribus, noſtris hæc quoq; ſumma malis:
Vade memor noſtri: res non operoſa volenti:
Sic tibi, quas vives ſint ſine nube dies!
Ut vetor eſſe una, certe vetor eſſe, ſequemur
Auſpicio veſtras ominibusque vias.
Quaq; licet fugientem oculis comitabimur udis:
Et lacrymæ rapidæ more fluetis aquæ.
Nec ferus hic cineri parcet, tumulisq; ſub ipſis
Et gelidos manes tanget & oſſa dolor.
Membra prius parva congeſta ferentur in urna,
Quæ tegat impoſitus, poſt data juſta, lapis.
Quam Tua, chare pater, quam tot benefacta tuorum
Ante oculos animi non ſtet imago tui.
Ut taceant linguæ: major vox mentis, amorq;
Noſter in hac certe parte diſertus erit.

ELE-

ELEGIA UNDECIMA.

Propempticon
ad

Dn. D. JÄGERUM, S. Th.

Doct. & Prof. Hactenus Honorarium, Abbatem Maulbronn. Quoniam eſſet ad primarium ſummi templi Stutg. Miniſterium, & conſilia Conſiſtorialia vocatus, ſe gratulari quidem, ſed ita ſecum dolere ſtudioſorum gregem univerſum.

Jam venit illius mœſtiſſima temporis hora:
Qua fugis, & forſan non rediturus abis.
Nec te noſter amor, nec vota morantur amantum:
Sed Deus, & fatum, quo vocat, ibis iter.
Accipe conſuetum, ſed non ita ſuave relatu,
Quo, tibi qui dicit, nunc caret ipſe, Vale.
Vos quoq; Pierides, & Apolline nata ſiniſtro
Carmina cum lepidis noſtra valete jocis.
Nil mihi vobiſcum eſt, illo fugiente, libelli:
Qui dabat arbitrio vitam animumq; ſuo.
Ille meos Elegos cœlo tulit: ille cothurnum:
Et, quæ bucolicis ſcripta fuere modis.
Tu mea cum legeres, quid non audere jubebas?
Judicio crevit cura laborq; tuo.

Seu

Digitized by Google

Seu mihi Romanis exiret epiſtola verbis:
Miſſa foras, animi nuncia fida mei:
Seu quacunq; modis ſine lege fluentibus irent:
Quam tua, dicebat, ſcripta lepore madent?
Jam tecum Veneres, Venerumq; abiere decores:
Quæq; modis aptum cauſſa moveret opus.
Quo mihi tanta tui ſine ſine cupido videndi:
Si fuit hæc numeros non habitura ſuos?
Pene præoptarim nunquam mihi nota fuiſſe,
Parva quibus non eſt pœna carere, bona.
Huc ades, inq; ſinus muſarum illabere rurſus:
Quæ tibi ſax animi prima fuere tui.
Hic rhodus: auguſto ſatis hic tua fama theatro
Clauditur: hic ſpatium laudis habere potes.
Quid tibi nunc animi eſt, tanti deſertor amoris?
Nec, quo feſtines ire vel unde, vides?
Non hic ſemiferi, ſæviſſima turma, bimembres:
Non ortum à ſævo Thermodoonte genus.
Sed locus Aonidum, ſed magni regia Phœbi:
Sed juvenes, ætas mollis & apta regi.
Addimus en! lacrimas: lacrimas, duriſſime, noſtras
Deſpicis? & populi verba precantis idem?
Quod puto, non facies; &, quo movearis, habebas:
Si modo judicii res foret illa tui.
Sed tua te virtus, tua te facundia nobis
Eripit, ingenii dexteritasq; tui.
Nec tamen eripiet; comes indivulſus euntm

In

Digitized by Google

In nemora, in montes, in loca ſola ſequar:
Sit modo, quod voveo, tua non adverſa voluntas:
Quis minor eſt autem, quam voluiſſe, labor!
Non mihi ſiderei frondoſa cacumina montes
Obſiſtent; tumidi nec vada vaſta maris.
Non metuam ſyrtes, nec ubi niſeïa virgo
Pube premit rapidos inguinibusq; canes.
Jam videor veſtris errare licentius arvis:
Ingredimur certe, quo licet, illa pede.
Heu mihi! qua muſis nunc ire dabatur, eadem
Quod mihi, quo cupio, non datur ire, modo?
Ergo ego te deinceps, præſentis & ore carebo?
Navigij fueras qui Cynoſura mei?
Nec mihi ſermonum, quos Gratia tinxit Hymetto,
Copia & ingenii fiet, ut ante, tui?
Dum licet, accedam: fortaſſe negabitur ultra:
O decus, o ſecli gloria magna tui!
Vade pater, quoniam ſic aſpera fata tulerunt;
Vade ſed hoc nobis non inimicus iter!
Néve time gravidas nimbeſis nubibus auras!
Sidus & hiberni ſit tibi mite capri!
Quumq; ſolum natale, urbemque ſubiveris illam,
Forte meo qua nunc non adeunda pedi eſt:
Omnia, quæq; voles, quorumque ardore fereris
Perficiendorum, convenienter eant!
Sic tamen & ſummas, interq; negotia rerum
Pars ego ſim curæ quantulacunq; tuæ!

Sim

Sim tibi quanta libet; ſi ſum modo: non mihi certe
Cura ſit argenti fama, Gylippe, tui!
Aut ſaltem iſta mihi tantum jace verba reverſo!
Sim, precor, huic fati cauſſa faventis ego!
Interea notis agitabo in montibus ævum:
Sæpe ſonum linguæ qui ſtupuere tuæ.
Incumbamq; ſolo, tacitoq; ita murmure dicam:
Heu mihi, neſcio qua pars mea major abeſt.
Te veniente die, noctiq; loquemur in horis:
Te vehet ingenii ventus & aura mei.
Ad tenues numeros venies mihi ſæpe vocatus:
Sæpe dabis noſtræ grandia vela rati.
Noſtra per immenſas ibunt præconia gentes:
Ah modo, quam cupio, ſit ſine vena modo!
Trans ego Sauromatas exaudiar, & freta ponti:
Atq; ubi nec bello nec nive terra caret.
Solis ab occaſu Solis veniemus ad ortum:
Me Boreæ, inſani me feret ala Noti.
Has adeo vires, & tanto digna dolore
Sufficiet, tanti cauſſa doloris, amor.
Primus amor potuit naturæ excedere fineis:
Primus amor nullum cœpit habere modum.
Tu quoq; pollicitis majora fateberis auſo:
Hei mihi! credibili fortior ille fuit!
Sin medio in curſu, puppimq; ferentibus Euris
Abſtrahar in tenuem muta favilla cadum.
Ut reor; ut ſacra memini me voce moneri:

Saga-

Digitized by Google

Sagaq; divino vaticinata ſono eſt :
Te colet umbra tamen: nec mors mihi finiet ignes,
Nec rogus, aut manes, vel cinis ipſe meos.
Tum quoq; cum tenues fuero dilapſus in auras:
Occurrent animi tot monimenta tui.
Tum quoq; factorum mecum memor urna tuorum
Lætitiæ teſtes, ſignaq; multa dabit.
Inq; locis ſolis te concava ſaxa loquentur:
Addet & his vires vocis imago mea.
Audiet hæc aliquis : Quicunq; ita, dicet, amavit,
Hujus erat magno digna favore fides.
Quumq; mihi Syrios alius cumularit odores:
Flebit & effuſis hirta per ora comis :
Clamabitq; ſuum ſine more modoq; ſodalem,
Frigidaq; in tepido colliget oſſa rogo :
Non lacrimas poſco : nec ſunt mea funera tanti:
Si quando ad tumulum buſtaq; noſtra venis.
Siſte viam ſaltem, paucaq; ita fare ſepulto:
Hic potuit noſtri pulvis amore mori !
Tum mihi terra levis : tum molliter oſſa jacebunt:
Crede mihi, officium ſentiet umbra tuum.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA DUODECIMA.

In illud Didaci Stellæ de Vanit. Mundi. Cap. 3. Quid tibi, o homo tantum laboris creas,

In veſtigando ſiderum motu, in terris.

Da operam, ut è terris eo venias, unde cœlum ipſum calces.

QUam juvat ingentem digitis errare per orbem?
Arduaq; audaci ſidera mente ſequi?
Et cœli ignotos animo comprendere motus?
Inq; domos ſuperum ſæpe tenere viam?
Eſt aliquid certe, cur menſtrua Luna laboret,
Dicere, cur niveis ipſa vehatur equis.
Quid velit Olenia ſidus pluviale capellæ:
Aut Helle in ponti merſa fleatur aquis.
Cur Zephyri mites? cur longe ſavior Eurus?
Quid Boreas hiemes? aut ferat Auſter aquas?
Hinc aliquis, memini, cum me vaga ſigna doceret,
Aſtra ſupercilio pene liquente ferit.
Hæc duo ſigna vides? illa eſt, quam dicimus, arctos:
Arctophylax formam terga ſequentis habet:
Hic Ariadneæ cernis monimenta coronæ:
Illic Gorgonei colla videbis equi.

Pro-

Digitized by Google

Proferet extemplo, nec longe à montibus iſtis,
Proferet extemplo Caſſiopeja caput.
Quid loquar Andromedan; & flentem nunc quoq; Ce-
Quæq; loco paſſim ſidera juncta micant? (phea?
En tibi ſigniferum, quo cœlum cingitur, orbem:
Quemq; terunt rapidi Solis euntis equi?
Hinc Aries fulgens averſum ſurgere Taurum
Reſpicit, & vultum torva minantis habet.
Inde nota Geminos; hic victa ſub Hercule magno
Vaſta Cleonæi terga Leonis habes.
Cætera quis neſcit? nec tu mihi tempore certe
Omnia tam parvo ſigna docendus eris.
Qui dedit hæc primus, non hic tibi dignus habetur,
Cujus honoratis oſſa vehantur equis?
Quem colat, ad cujus veniat pia turba favillas,
Et fleat immiſſis ante ſepulcra comis?
Quid garris, odioſe ſenex? neſcire videtur,
Sidera qui numerat, quæ terat ante pedes.
Dic mihi, qui cœlum, cœliq; volubilis orbes,
Diſcis, & attonita ſingula mente notas?
Cum gelidum corpus ſupremus adederit ignis,
Qua ferar in cœlum, quæ ſit habenda via?
Ante iter addiſcam: timeo ſimulacra ferarum;
Nec cupio ignotas hoſpes inire domos.
Vecordes animæ, rerum cauſſasq; modosq;,
Qua ſuperos adeant, non didicere tamen.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,

Aethe-

Aetheraq; ingenio ſuppoſuere ſuo:
Non tamen oppreſſum pariter vitiiſq; locisq;
Altius humanis exſeruere caput:
Aut hos ambitio, vel, qui ſubigebat, habendi
Nominis aut famæ ſollicitavit amor.
Aut victos aliquis rapuit caſus've furor've,
Unde ſuam pauci vela tulere ratem.
Jamq; age, ſi totum radio deſcripſeris orbem:
Lapſave ſub terras ortavé ſigna canas:
Ipſe nec ignores, ſi, qua natura ſub imis
Ac Phlegetontæis pœne tegebat aquis:
Ecquod erit pretium, ſi, quod tibi forte paraſti,
Quæ cineres, una nomen habebit humus?
Eſt nemus haud longe: denſiſsimus ilice lucus:
Qui volet, hic cauſſas mille ſoporis habet:
Fons ſacer à dextra eſt: læva de parte ſuſurrus,
Et murmur tacitè prætereuntis aquæ.
Ardua prima via eſt: ubi vertice ſtabis in alto,
Planus ager: viſus in latus omne patent:
Sin movet ardores procul umbra: remotus ab omni
Voce locus, ſi non obloquerentur aves.
Hic ego conſueto fallebam carmine curas:
Læva ſuos vates, dextra movebat opus.
Materiam quæris? frontis fuit illa ſoluta:
Et leve neſcio quid femineumq; ſonans.
Mira quidem dicam, ſed mentem adverte, fidemq;,
Quisquis es, hic noli ſollicitare meam.

Ecce!

Digitized by Google

Ecce! Deam vidi: non quam Præceptor amandi:
Arma ferens turbæ, Penthesilea, tua:
Sed, cujus viſo Capitoli in vertice templo
Dicebant : tanto Mens bona digna loco eſt:
Multus in ore decor : vultus profitentis amorem:
Fronte coma ſuavi, palla fluebat humi.
Læta parum : ſed ſic gravitate decentior ipſa
Conſtitit ante oculos aurea tota meos:
Et ſimul, Heu vani quis erit tibi carminis, inquit,
Exitus ? o vitii ſtulte poëta tui !
Ludicra dum ſcribis, dum rodis dentibus ungues,
Inq; genis pallor, mortis imago, ſedet:
Dum fingis numeros, auremq; juvantia verba,
Quæ poteris ſuperis arte placere, cares.
An tibi, cum clara judex in nube ſedebit,
Auxilium vates, cultave verba ferent?
Quumq; tremens ſtabis, quum, qui tegat, ipſe carebis,
Quum fugies fruſtra judicis ora tui:
Accurrent mites ultro, tua numina, muſæ,
Et miſero pœnæ mite levamen erunt?
O nimium ſtulti, plenos qui ſordibus annos
Hic redimi linguæ poſſe putetis ope.
Carmine formoſæ diſparent cornua Lunæ:
Carmine de cœlo diſcutiuntur aquæ:
Carminibus ſurgit mutato meſſis in arvo:
Inque alio (quam res mira!) metenda loco eſt:
Talia quæ poſſunt, non poſſunt carmina certe

Ponere

Ponere judicio ſævitiaq; modum.
Aeacus hic ſæva pallens in imagine pœnæ,
Hic coram Minos & Rhadamanthus erit:
Non hic ingenio, non hic ſervabitur arte
Fortia verboſi natus ad arma fori.
Hic ſua deficient, queis pollet, verba diſerto:
Ante rei cauſſam tunc aget ipſe ſui.
Nec tamen evadet: triſtis Rhamnuſia ſontes
Protinus ad pœnam, quam meruere, trahet:
Eventura loquor: quos nunc, inſane, labores
Sumis, ut infamam poſteritatis eas:
(Nota cano: veris adſit reverentia!) tandem
Finis erit ſtudii flenda favilla tui.
Et quisquam ſævos jam nunc vetet ire ſub ignes
Carmina, quæ cauſſas mille doloris habent?
Et fumum aſpiciens, Quæ ſcripſimus, omnia, dicat,
Quam melius noſtri ſunt rogus iſta loco?
Quin age, dumq; potes, certoq; revertere curſus:
Utilis eſt velis aura futura tuis:
Dum ratis in curſu eſt: dum ventis lintea turgent:
Et laterum tabulæ junctaq; tranſtra gemunt:
Hac ne ſequor? qua me tanto in diſcrimine vertam?
Quem peto, num longe, dic, mihi portus abeſt?
Quo duce carpo viam? quis per divortia notæ
Dirigat, in ſcopulos ne mea navis eat?
Hæc ubi prudenti tibi cognita feceris uſu;
Quod facies, ſi qua cura ſalutis erit:

Alte-

Digitized by Google

Alterius ventis ludibria vela videbis,
Sed tua trajecto tuta tenere mari.
Dixerat: obſtupui, meaq́ in præcordia (ſenſi)
Lapſa Deæ penitus verba monentis erant.

ELEGIA XIII.

Conqueritur duram fati ſui legem, quod ephebum nondum ingreſſus exulet.

Facta Anno 1690. Tubingæ.

QUis fuit ille dies, demto quo fine dolenti
Vita data eſt, diri plena pavore mali?
Fallor? an hoc ſuperi miſero reſtare monebant,
Quæ mala nunc Gallo bella gerente fero?
Natus eram, gelida Borea quum flante coiſſent
Pene ſub extrema luce Decembris aquæ;
Neu lateat tempus, capta quando urbe Philippi
Suſtulit ex imis cornua Rhenus aquis;
Proſpiciensq́ ſui victricia Cæſaris arma,
Nunc ego ſum dira compede liber, ait.
Quid vetat & ſtellas prima naſcentis in hora,
Sidera vel fati conſcia noſſe mei?
Mars pater, obliquo ſed cum Jove, ſumma tenebat;
Hoſpitium ſævi tela tenentis erat.
Inventorq́ lyræ plectrum geniale terebat;
Plejades obſtabant, oleniumq́ pecus:
Falciferumq́ ſenem, quanquam lugubre tuentem,

Digitized by Google

Impulit in quinta Cynthia ſede magis.
Horrida naſcenti ſupra caput adſtitit umbra,
Et mea fumifica contigit ora face.
Ut ſenſi, ut dolui, lacrimaq; per ora voluta,
Quamq; dedi primo, vox fuit iſta, ſono.
Juſſa fuit puerum luſtrare tepentibus undis
Fida, ſed heu! lævæ ſedulitatis anus.
Dumq; moras odit, juſſusq; capeſſit beriles;
Pro tepidis gelida me male lavit aqua.
Protinus infantes lethale refrigerat artus,
Inq; breves artus vadit & oſſa gelu.
Jurgia tum mater; vagitus ipſe movebam:
Omine natali conveniente meo.
Deſine, Phœbus ait: cauſſa eſt indigna doloris,
Majores olim, ſi modo vivis, habes.
Utq; reor, vives; & tu prior ipſa ſepulcrum
Mater inis; oculos nec premet ille tuos.
Te tua terra teget; terra latus ille remota
Radet, & externo quæret in orbe fugam.
Interea puerum doctas age, mater, ad artes;
Arbitrio muſas diſcat amare meo.
Dum licet, infelix, muſeïa ſacra frequenta;
Dum licet, ad Pindi devia carpe viam.
Exul, inops, exſpes, olim quod abominor, amens
Carminibus fati flebis amara tui.
Hic ſtetit, & gemitus imo de pectore ducens,
Bella, puer, video, bella ſequentur, ait.

Con-

Conferet infandam nullo diſcrimine cædem
Hoſtis, & in patria caſtra locabit humo.
Dextra geret ferrum; ſævas geret altera flammas;
Et furor exitii multiplicabit iter;
Filius hic patrii ſemiuſta cadavera vultus;
Hic genitor nati tollet humanda ſui.
Ah! quoties pavida mater dabit oſcula natæ;
Dicet & iratos eſſe relicta Deos.
Omnia victor aget; paſſim congeſta feretur
Præda, per hoſtiles dilaceranda manus.
Non erit his etiam feritas ſatiata rapinis;
Illa ſed heu! veſtri plena cruoris erit.
Ah dolor! in cineres & vani nominis umbram
Deſinet heu! rurſum flebile Troja ſolum.
Quaq; fuit murus, forſan bene credita pinguis
Annua cultori ſemina reddet ager.
Diraq; reſpiciens dicet monimenta, viator;
Fallor? an hoc urbem fama fuiſſe loco eſt?
Tu quoq; tunc illo metues graviora catenis
Tempore, nec damni, nec memor ipſe tui.
Quaq; comes ſequitur laqueo ſua colla ligantes,
Spes etiam viſo cominus hoſte cadet.
Parve, quid o! vagis? tum ſit tua flere voluptas;
Quum tibi juſta ſatis cauſſa doloris erit.
Quas fore prædico, Borea quot bella movente
Conjicit in terras Mœnalis urſa nives.
Quot folia auctumno; quot tempore meſſis ariſtæ,

Digitized by Google

Graminaq; aſtiva falce reſecta cadunt:
Tot tibi vaticinor moneoq; inſtare dolores;
Ter quater o! felix, ſi numerare potes.
Jamq; age terga fugæ, cœloq; immitia crede
Fata; patent tuta per latus omne viæ.
Ire licet; Suevi curſu pete cærula Nicri;
Ecquid eo dubitas ire, monente Deo?
I precor; adverſo quamvis retinebere vento,
I precor; ingreſſum néve moreris iter.
Nec pluviam cures, ſalebroſavé ſaxa vitrum;
Sed magis attritos currere coge pedes.
Hanc ubi contigeris, qua nulla beatior ora eſt;
Triſtia pro fatis ora reſolve tuis.
Invidia eſt iſta Sophies te ſede morari;
Sit licet: hic miſeræ pauſa petenda fugæ.
Hic ſtatio; hic portus; laceræ hic navale carinæ;
Litus ama; rigidus lintea deme notu,
Siſte ratem; Martis dum detonet imber, & Eurus
Findendas iterum puppe reducat aquas.
Finis enim nondum eſt; neſcis, heu! perdite, neſcis,
Quam fati ſeries certa tenaxq; tui.
Dixerat: ingemuit nutrix miſerata, mihiq;
Parva ferunt ſubito membra coiſſe metu.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA XIV.

Tubingam anno 1690. ingreſſus miſerabile patriæ excidium commemorat.

Hoſpes in hanc fugio, patriis è ſedibus, urbem;
Eſte ſalutati diiq; viriq; loci.
Vos etiam ſilvæ nemorum, monteſq; propinqui,
Et juga nunc viſi ruris avete mihi.
Te quoq;, quem tacito ſama hic habitare ſubantro eſt,
Vox mea cum veſtris, Nicre, ſalutat aquis.
Quæritis, unde domo? quam ſævus adederat ignis:
Hic ubi captivas Pfincia volvit aquas.
Uvida cur veſtis? pluvioſo fugimus auſtro:
Unde rigent udæ mœſta per ora comæ.
Cernitis, exſangui faciem livere colore;
Exilium vultu teſtor in ipſe meo,
Lenta miſer moveo claudo veſtigia paſſu;
Cauſſa prope eſt; nervis oſſa ſoluta ſuis.
Seu via dura facit; ſeu ſævi cauſſa timoris;
Hoſte palam rigidas incutiente minas.
Pene miſer morior, quoties ſubit, impius ignis
Damna ſub irato qualia marte dedit?
Nox erat incurſu; ſpecula dat buccina ſignum;
Hoſtis & audaci milite cinctus adeſt.
Nulla fuga ratio; dubium magis hoſtis, an umbra

Ire vetent noctis ; ſed magis ille vetat.
Et dolor unus erat ; ſpecies non una doloris ;
Pars fundit lacrimas; pars ſine mente ſedet.
Hic tremit, ille ſtupet ; fidum hic inclamat amicum,
Ille Deum, & fati ſidera ſæva ſui.
Arripiensq; manu chariſſima quæq;, cadentem
Dum licet, o! patriam reſpiciamus, ait.
Mens fugit admonitu ! manibus poſt terga retortis
Stabat ad arbitrium quisq; per arma mori.
Fata ſed omnigenam noſtri vetuere ruinam ;
Et Deus auxilium præſtitit ipſe ſuum.
Non ſecus, ac inter ſcopulos ſtygiasq; procellas
Sæpe ſalutiferam navita ſenſit opem.
Fugimus amiſſis miſeri patriaq; bonisq;,
Quo quemq; aut ratio, vel ſuus error agit.
Nec via cæca fuit ; præbent incendia lumen ;
A ſævo profugis hoſte patebat iter.
Ipſe dat hoſtis iter, longe comitatus euntes
Et diræ lacrimis immaduere genæ.
Me quoq; cum multis eadem fortuna coëgit
Ulvifer ad ripas, Nicre, venire tuas.
Dicite, muſarum namq; hic ſedem eſſe ferebant,
Plena ubi Caſtalias urna miniſtret aquas?
Sic magis o! veſtras cœli plaudentibus aſtris
Ipſe Deus cauſſas arbiter æquus agat!
Hæc ubi fatus eram, lingua titubante ; docebat
Cuncta perurbani candida forma viri.

Nec

Nec mora: Parce *metu; fortuna viriliter omnis*
Quæ premit, & tollit, deſpicienda venit.
Quicquid id eſt, dura: ſi nunc male vivis; at olim
Triſtia leniri numina poſſe puta.
Eſt modus adverſis; ſunt & moderata ſecundis
Tempora, per longas cum valuere moras.
Nubila lux ſequitur; poſt rauca tonitrua cœli
Lumine ſol revocat candidiore diem.
Si jam contraxit vultum fortuna, quid obſtat
Quo minus in niveis hac referatur equis?
Interea ſalve; neq; enim neſcimus, & urbem,
Fataq;, quæ magna nos quoque parte premunt.
Nec merito fortaſſe: ſuis vicinia damno eſt;
Et miſeri nimia proximitate ſumus.
Accipe, quæ poſcit; ſunt hoc auguſta camœnis;
Hoc etiam Themidi ſacra theatra loco.
Hic locus, & ſedes, ſacris domus hoſpita muſis;
Quamq; vides, ipſi turba dicata Deo eſt.
In manibus vates; volvunt oracula cœli;
Hic labor, hoc unum ſollicitatur opus.
Hic fora ſunt medicûm, doctiq; Machaonis ædes;
Cernis, odoratas jactet ut ille roſas!
Ille refert flores, florumq; medentibus uſum;
Quaque juvet, vel quæ viribus herba nocens.
Templa vides illic, ubi ſe natura videndam,
Et clauſas denſo ſubere pandit opes.
Cur bibat arcus aquas? gravida cur fulmine nubes?

Quid fugiant Zephyro concutiente nives?
Luna recreſcentem falcata recolligat orbem?
Deſinat in binos ſemirefecta ſinus?
Nec minus his mores, abſtruſaq; dicta priorum,
Quaq; regas animos arte, videre licet.
Longa mora eſt: dextra per ſingula duxit, & una,
Quæ caveam poſthac, quaq;, monebat, amem.
At tibi, qui miſeros animo non ſpernis amaro,
Quod reliquum eſt, ævi molle ſit omne tui!

ELEGIA XV.

Pro ſalute Illuſtriſſ.

OBRECHTI,

Prætoris Regii, apud Argentoratenſes, cum ille poſt reditum Francofurto pericloſe decumbere cepiſſet.

DEficit Obrechtus. *Permeſſia turba, poëtæ,*
Suppliciter veſtrum ſollicitate Deum.
Deficit, heu! tabes vultum deformat, & artus,
Inq; viro non eſt, qui fuit ante, color.
Nil medicæ vires, lectaq; in millibus herbæ,
Unde malum tollat, quove levetur, habent.
Spes jacet; in Divis trepidi ſine mente medentes,
Quæ juvet, & votis eſſe fatentur opem.
Vota juvent igitur, cœliq; faventibus aſtris

Illa

Digitized by Google

Illa polum tangent aliſe vecta noto.
Ipſe quidem, Nihil eſt iſtis opus, inquit: & una
Nec quidquam noſtri, nec memor ipſe ſui eſt.
Ipſe quidem patriæ, regiq; fatetur amico,
Quos ſibi donarint fata, dediſſe dies.
Et quoties cœlum ſuſpectat, & ætheris alti
Sidera jam fauſto jamq; terenda pedi:
Quod bene vertat! ait, tetigi ſpacia ultima metas:
Noſter in extremo pulvere ſudat equus.
Non animus, non me fallunt præſagia lethi:
Ultima nec pauci vaticinantur agi.
Vix ego Lucifero fugiente, cadentibus aſtris,
Lumina ſollicito victa ſopore dedi:
Viſus eram tacito ſpaciari in litore mecum:
Solus eram, ſi non multa ſubeſſet avis.
Aſpicio lucum: denſa niger ilice lucus:
Rivus aquæ, flores uvida tollit humus.
Captus, amore loci, Zephyro invitante, videbar
Fronde ſub aggeſta depoſuiſſe caput.
Ecce! manu tenera plectrum geniale tenentis
Ante oculos pueri ſtabat imago meos:
Et ſimul, Ecquid, ait, denſa nemus arbore frondens,
Aviaq; humano vix pede trita juvant?
Huc ades! & lento cœpit præcedere paſſu:
Qua ſalices, & per ſaxa ferebat iter.
Vox quoq; de cœlo dubium properare monebat:
Illa, Veni, certe dicere viſa mihi.

Nulla mora eſt; venio: quanquam genua ægra tra-
(hentem
Tardet, & exſanguem tabida febris edat.
Sed tamen ingredior: vires dabit, & mea tollet
Membra, meo qui nunc pectore regnat, amor.
Quando erit, ut niveo capiam velatus amictu
Contiguum cœlo ſideribusq; locum?
Quando erit, ut ſuperis, paſſim, ſuperumq; potenti
Detur inaurata carmen biare lyra?
Terra vale, curaq; humiles: jam libera mens eſt,
Jam ſua; jam cœli parte recepta ſui.
Hactenus! & geminas levat æger in æthera palmas;
Et, collo quamvis deficiente, caput.
Quo fugis, o princeps ſacrarum Obrechte *ſororum?*
Quo fugis, o ſecli gloria rara Tui?
Vive precor nobis, patriaq; ſalubriter ora:
Conſilio queis nunc ſcis opus eſſe tuo.
Anne relinquendi, quòd abominor, eſſe videmus,
Impenſi poſtquam juſta laboris habes?
Tunc ego te ferrum geſtare in corde fatebor,
Saxaq; diſciſſis aſperiora jugis.
Sed nunquam ferrum, nunquam te ſaxa fatebor;
Sed gerere ad mites mollia corda preces.
Ecce! venit paſſis toties te ſalva capillis
Ante tuos ſupplex muſa Latina pedes:
Grajaq; non illis, quas te fingente gerebat,
Sed macie fœdis horrida facta genis.

Turbaq; doctorum late diſperſa virorum,
Quæ decet, in vultu ſigna querentis habet.
Nos etiam lacrimas miſeri libamus amici,
Et lacrimas, &, quæ, verba doloris, eunt.
Unum opus, & ſtudium eſt, ut, ſi mutabile pectus
Intus habes, nobis vivere velle velis.
Audior: en! vultum dubitantis habere videtur:
Jam populi vox eſt grata precantis idem.
Et quoties patriæ, quoties meminiſſe ſuorum
Incipit, o! voti neſcius ipſe ſui eſt.
Et modo vita juvat; vita modo ponit amorem;
Nec ſatis exactum, quid prope malit, habet.
Errat, ut in bivio, Luna ſub luce, viator
Quavé ſit, ignorat, quodve relinquat iter.
Sic Borea triſti freta per diſcordia vidi
Ludibrium tumidæ nare phaſelon aquæ.
Nec dolet immites fatis inſtare ſorores;
Nec dolet heu! vitæ fata propinqua ſuæ:
Quam, quod ſe nobis cauſſam videt eſſe doloris,
Nec ferre optatam, quáq; decebat, opem.
Dum loquor, igneſcunt languenti in corpore febres,
Dum loquor, in dubio ſemianimisq; jacet.
Et, niſi quod ſpirat, quod nos auditq; videtq;,
Aut ſimulat certe: cætera mortis habet.
Explorant digitis ſalientis tempora venæ;
Explorant artus, diſſimulantq; malum.
Ut bene diſſimulent; infeſta veremur amantes:

Heu mihi! divino ſi ferar ore loqui.
Chriſte, parens rerum cui tellus ſervit, & æther,
Quem timet injuſti cærula forma maris.
Per quem funeribus, præcluſaq; janua letho,
Eq; ſtyge ad vitam rurſus aperta via eſt:
Cujus ad imperium properantia fata morantur,
Et vetitum cœlo nauta revertat onus:
Dic, bene, dic, valeat, pro quo Tibi vota feruntur!
Cui Tua conſumta poſcitur arte manus!
Poſſe palam eſt; novi. quod ſi Tua certa voluntas,
(Quis minor eſt autem, quam voluiſſe, labor?)
Ipſe quidem ſtatuet, quæ te meruiſſe fatemur,
Auxilii teſtes ſignaq; quanta tui?
Nos autem tantæ manſurum mentis amici
Non ingrata tibi turba feremus opus.
Si quid id eſt, ſacri faciet pro fornice templi
Indicium meriti parva tabella tui:
Adſcribamq; iſthac: Obrechto *ſoſpite vates:*
Tu modo fac titulo muneribusq; locum.

ELEGIA XVI.
In ejuſd. Illuſtris viri obitum.

Ergo ubi defuncti gelidum ſine nomine corpus,
Quod ſupereſt, tenui limite claudet humus,
Sacra ſepulcrales depaſcent viſcera vermes?

Fœda-

Digitized by Google

Fœdaq; , nec neſcis , rixa cadaver eris ?
Nec tibi profuerit , quod vaſta negotia regum,
Tam varium atq; anceps , tam grave tollis onus?
Nec minus, Italida quanquam vel Achaide vena
Plenus eras , nullo vita tuente cadet ?
Si quid id eſt , cineri fortaſſe feremus amici
Annua ferali liba merumq; foco :
Si quid id eſt , ſacris facundia funeris umbris
More ſuo laudes , & bona verba dabit.
Atq; aliquis manes lacrimis affatus obortis ,
Qui jacet hic , lingua gloria, dicet, erat.
Hoc precium ſtudii vigilatorumq; laborum ;
Turbaq; in hunc finem laudis avara ſumus.
At mihi nec tanti eſt , ſcribendo inſumere noctes ,
Ut mea pernici fama triumphet equo.
Fama fugit , laudesq; ævo delentur in ipſo ,
Nec minus ad ſtygias ibo diſertus aquas.
Parcite Pierides , furor atq; inſania vatum eſt,
Velle Philetéa cingere fronde comam.
Quo tibi , ſi tacito poſitus laudere ſepulcro ?
Famaq; de buſto non moritura venit ?
Num minus o ! peſtes tumuli ſaturabis edaces?
Num minus & cineres condet & oſſa lapis ?
Nec juvat inſontem pia vita, nec ipſe per omnem
Ingenio cœli , qua licet usq; , viam.

ELEGIA XVII.
Ad Cl. AUCTOREM.

Carmina cur edis ; nulli ſunt carmina curæ;
Et ſpretum vatis nomen ubiq; jacet.
Verùm adeo cum ſuave canas, an nullus in orbe,
Dulciſono cantu qui moveatur, erit?
Ede tuos elegos ; poterunt, niſi fallimur, iſti
Vatibus antiquum conciliare decus.

Samuel Werenfelsius,
S. T. D. & P.

ELEGIA XVIII.
ad
Illuſtrem Virum,
Jo. Rudolph. SEUBERTUM,
de obitu Uxoris,
CONSOLATIO.

Quid dominam aſſiduis luges, Seuberte, querelis?
Solvitur heu! tanto læſa dolore fides!
Magna quidem cauſſa eſt, & quæ ſine fine miniſtrat
Cur vena nunquam deficiente fleas.
Illa decus morum, ſed vix imitabile cuiquam,
Illa maritali conſpicienda fide,
Fertur in exſequias, animi matrona virilis,

Heu

Digitized by Google

Heu mihi, quam nulla eſt, quæ modo quanta fuit?
Ipſaq; de tantis formæq; animiq; reliquit
Muneribus, vix hæc parva quod urna capit.
Et quis erit, lacrimis qui legem dicat, & una
Præcipiat, ratio quo ſit habenda modo?
Non ego de duris, non ſum de ſæva profeſſus;
Te tamen in luctus longius ire vetem:
Vidi ego torrentem, plenis qui cornibus ibat:
Non erat hic homini, non ineundus equo:
Sæpius huic, memini, convicia fecit amator:
Qui juſſum ad dominam nocte tenebat iter:
Ipſe quoq; ut vidi, pluvia nimbiſq; tumentem,
Unde fluat, dixi, vena perennis habet.
Dum loquor en! tandem poſt tempora parva jacebat
Alveus arenti pulverulentus humo.
Tu ſine fine doles? & quæ tibi meta doloris,
Hæc eadem vitæ meta futura tuæ eſt?
Imperium ſævæ non eſt vitabile mortis:
Hic Deus averſa præterit aure preces.
Mancupio nulli vita eſt data: contrahe voti
Vela: quod hic pretium, quæſo, doloris habes?
Planctibus in vitam nunquam, mihi crede, redibit,
Ut ſemel infelix contumulavit humus.
Nec tua tot curæ lamenta cadaver habebit;
Nec feret exſtincta, nec tibi luctus opem:
Illa quidem longa fuerat digniſſima vita:
Et mecum hic omnes, qui fateantur, habes:

Nec

Nec negat hoc Livor. Si fallant omnia, debet
Ipſe ratam Livor teſtis habere fidem.
Num tamen hoc refert ? ultro ipſa ad fœdera venit,
Unde, Dei juſſu, mortua turba ſumus.
Si quid id eſt, cari venient ad funus amici,
Et tumulo lacrimas, munus inane, ferent.
Ulterius nihil eſt, quo ſe efferat ardua Regum
Gloria: ſunt uno hic dives inopsq; loco:
I nunc, & , ſummis quum regibus urna paretur
Funeris, in te oculos & tua damna refer.
Eurydicen ſilvæ flebant, monteſq; ferini:
Saxaq; & indomitæ condoluere feræ:
Ipſæ etiam Dryades, ipſæ Nereides, & Tu
In medio fleſti, frigide Ponte, freto:
Ante alias Orpheus. Sed non Dryas ipſa, nec Orpheus
Mutarunt ſartas ex adamante fores.
Priſca quid huc repeto ? quanquam eſt in honore vetuſtas,
Major & antiquis gloria rebus ineſt.
Ipſa quoq; è cœlo gelidi levis umbra ſepulcri
Hæc tibi, ſi liceat, verba dediſſe volet:
Quid tumulum lacrimis cineresq; inceſſis amaris,
O, mihi dum tecum vita manebat, amor ?
Ipſa diu vixi: vixi, Seuberte, *ſinebat*
Dum Deus, in thalamo nupta pudica tuo.

Opta-

Digitized by Google

Optatæ luces, regnoq; beatior omni
Tæda, nec è buſtis unquam abolenda meis!
Nunc mea me pietas cœli per inania vexit;
Hæc mea mors ſaltem eſt parte dolenda minus.
Hic precium noſtris virtutibus! hic mea merces!
O merces omni digna labore peti.
O patria! o ingens divum domus! ut mihi tandem
Contigit optatis ultima meta meis!
Ut te ſolliciti poſt tot diſcrimina fati
Aſpicimus, ſedes invehimurq; tuas!
O quater, & quoties non eſt numerare beatum,
Æquoris illiſas qui procul audit aquas!
Quaq; diu petiit, tutis navalibus abdit
Impavide raptam per freta longa ratem!
Me quoq; felicem, quæ per fera murmura ponti
Inveni portum, quo mihi curſus erat,
Cœlituum in medio. Tu buſtum lædere luctu
Parce, vel o manes ſollicitare meos.
Utq; tuos ſerves, tu te ſervare labora:
Hæc etenim cineri cura relicta meo eſt.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA XIX.

ad

Dn. D. MüLLERUM,

Acad. Tub. Cancellarium:

Aliam ætatem, alios mores poſtulare; ſe, quoniam eſſet fines adoleſcentiæ egreſſus, valere muſas jubere, & ſtudia ſacrarum literarum ordiri.

NOn eadem placuere diu: puer ire ſolebam,
Amnis ubi piſces, nidus haberet aves.
Findere aquas manibus, campos tranſmittere curſu
Ludus erat: nullo non faciente locum.
Ut venere anni majora petentis ephebi;
Ora Philetea muſa rigavit aqua.
Primus inacceſſa Phœbus me admoverat undæ,
Unus, &, è nobis, o puer, inquit, eris.
Inde mihi, quare, Permeſſia ſacra placebant
Neſcio, judiciis ſemper amata meis.
Sponte ſua numeri ſecum ſua verba ferebant;
Millia quot nullo pene labore dedi?
Muſa meo ſubito ſi quid properaret amico,
Luce minus tota grande volumen erat.
Pars bona ſcriptorum male cuſtodita meorum
Ante diem fati vidit acerba ſui:
Partem etiam venti, partem rapuere favillæ:
Inq; mea patria, cum patriaq; jacent.

Unus

Unus & alter item de tot modo millibus extat
Verſus, ut ingenti de mare rivus aquæ.
Quæ, precor. ut ſævæ poßint erepta ruinæ
Carmina cum venia qualiacunq; legi.
Forſitan hæc curis olim magis aucta ſecundis
Ire palam niveis conſpicientur equis.
Nunc etenim primæ ſtudia illa repono juventæ:
Et jacet exſtinctum, quo capiebar, opus:
Phœbe, vale: muſæ nuper mea cura valete:
Raditur hæc elegis creta ſuprema meis.
Prima ſales ætas cecinit mihi, prima lepores,
Prima quoq; urbanis ſuſpicienda modis.
Jam vocat ad ſuperos fortißimus ille Deorum:
Sis bonus, & mecum vota precantis habe?
Tu mihi nunc adeo, cœli, Müllere, *ſacerdos*
Huc ades, & timidæ dirige vela ratis?
Te duce per medium videor diſcurrere ſolem
Poſſe, per & nubes aſtraq; liber agi:
Accipe me: facti nunquam, mihi crede, pigebit:
Dura jube: nam ſum ferre paratus ego.
Omnia vincit amor, laudumq; erecta cupido
Obſcurum tenebris egredietur iter.
Me quoq; fama trahit, cupioq; ſuperſtes haberi,
Quando ero, quod digitis quinq; levatur, onus.

ELE-

ELEGIA XX.

Sebaſtiano de FREYHOF,

Nobili Auſtriaco.

Ratisbonæ ſcript. Anno 1694.

Qui mihi ſegnitiem, qui deſidis otia vitæ
Objicis, & venæ carmen inertis opus;
Non me ſancta patrum, criſpivé oracula Baldi,
Scriptave Galeni pulverulenta ſequi;
Parce queri; non ſum, ſi credis vera monenti,
Cur toties à te ſegnis, amice, vocer.
An, quia nec laudis, nec opum furioſa cupido
Nos habet, & verſat, præcipitesq; rapit;
Deſidia eſt, faciat quæ nos ignava petentes?
Deſidia eſt, veſtro cur agar ore reus?
Non animus, non eſt eadem mens omnibus una:
Semina naturæ num prohibenda meæ?
Quidlibet eveniat; deponere carmen, & artem
Non ego, ſi poſſim, care Sebaſte, velim!
Sæpe, fatebor enim, muſæ diſcedite, dixi:
Ingenii non eſt area veſtra mei:
Riſit, ut audirem, doctarum turba ſororum;
Quid facis? abſentes, ſtulte, dolebis, ait.
Quum fera nec ſilvas, nec flumina piſcis amabit;
Nec liquidum pennis aëra findet avis;
Tu quoq;, crede mihi, blandiſſima ſacra peroſus

Aoni-

Aonidum vacuo pectus amore geres.
Heu mihi! quid feci? nimium mihi vera canebant:
Jam didici damno cautior eſſe meo.
Si mihi Pieridas quiſquam vel carmina demat:
Deprecor! uſq; adeo, quo male vexor, amo!
Quin etiam, tenues quum ſpiritus ibit in auras,
Quiq; meo nunc eſt multus in ore, vigor:
Quiſquis es, exſtincti lacrimis urgere ſepulcrum
Deſine; jactatis hirta per ora comis.
Hæc modo ſi ſerves, reddant tibi longa ſorores
Tempora, quæ rapuit de tribus una mihi!
Sidronij ſacros humeris ſuppone libellos;
Sed caput & crines cinge, Secunde, meos;
Quum procul à patria, qua Mincius incubat arvis,
Suſtulit Italidæ pene cicuta manus,
Dextera Santoliden teneat, meliora loquentem,
Quiq; Sophocleo ſacra dedere ſono.
Læva gerat Walli numeros, & verba Becani,
Et quodcunq; pio melle madeſcit epos:
Heinſiaden fugio, Janiq; volumina Belgæ;
Pagina laſcivi carmen amoris habet.
Quid mihi vobiſcum eſt, Amathuſia turba poëtæ?
Sunt mihi cum domina prælia nulla mea:
Vos capiat Nemeſis, vos docta forma Corinnæ;
Heu mihi! non uni nunc quoq; cauſſa mali.
Quod licet, & gratum eſt, lentis carbonibus ure,
Vida quod ingenti voce canebat opus.

Adjice

Digitized by Google

Adjice ſynceri divina poëmata vatis,
Cum caneret cunas, nate Davide, tuas.
Hac ubi præſtiteris, ſuávi capiemur odore;
Vivet & officio lætior umbra tuo.
Inde libris gelidum Cellari involve pheretrum;
Ille piam longâ cyclade ſignet humum,
Cellari, cui nunc Halæ miranda canenti
Caſtaliam palmis libo duabus aquam?
Hasq; intexe notas: Quid ſic Cleopatra tumebas?
Malſchius hic tumulo nobiliore jacet.
Quis ſcit, an incipiant dura ſub rupe moveri
In numerum cineres, oſſaq; muta loqui?
Auguror: ad manes veniet mihi fama beatos,
Implet odoratum qua pia turba nemus.
Atq; aliquis ſancta forſan de gente piorum,
Ipſa tibi, dicet, Parca benigna fuit.

ELEGIA XXI.

Viro Clariſſ.

D. J. JAC. HOFMANNO,

in Inclyta Raurica Hiſtoriar. P.P.

JO. CASP. MALSCHIUS, Prof.

O Nitor eloquii, noſtri cultiſſime ſecli,
Hiſtoriæ Præſtes, barbariæq; timor:

Si

Digitized by Google